…egistrus
polono-philosophicus sive
Senator, Legatus, Miles Polonus.
Varsaviae. 1700.

TRISMEGISTUS
POLONO-PHILOSOPHICUS

Sive

SENATOR, LEGATUS, MILES
POLONUS

INTER OMINA, DECORA, FATA,
Philoſophicè, Politicè, Hiſtoricè
REPRÆSENTATVS.

atq;

In ILLUSTRISSIMO DOMINO, DOMINO
SIGISMVNDO FRANCISCO
GAŁECKI
PALATINO INOVLADISLAVIENSI
Inter omina, decora fataq; Senatoria ſemper fortunata
ADORATVS.

Nec non ſub fortunatiſſimis ejusdem ILLVSTRISSIMI MECÆNATIS Auſpicijs
In publicam diſceptationem propoſitus.

A R. D. JOSEPHO LEIB Seminarij Varſavienſis ad Eccleſiam S. JOANNIS Alumno, Philoſopho Abſoluto. Præſide R. P. CHRISTOPHORO EYNAROWICZ Soc. JESU in Collegio Varſavienſi Societatis JESU Philoſophiæ Profeſſore.

Anno DEI Hominis 1700.



Cum decoret cælos, Cerasq;, Arasq; Polonas,
TER MAGNI meritò nomē, hic AGNVS habet.

DEDICATIO.

NOn Triſmegiſtum, ſed Te Tibi, nempe Ter Maximo Majorem, mea præſentat Philoſophia, ILLUSTRISSIME ac EXCELLENTISSIME DOMINE. Veterem enim illum Ægyptium Principem, dùm rectè factorum gloriâ ſequeris, antecedis; neq; ille Tibi, verùm Tu in illius Ideam præponi ac prævixiſſe debueras, niſi ſolâ illi temporis conceſsâ prioritate, Tibi virtutis primatum elegiſſes: imò abſolutâ Thaumaturgæ virtutis Tuæ potentiâ, efficis, ut bis vixiſſe videaris, & olim in veteri illo Tibi, & hodie in Te veteri illi Triſmegiſto, in exemplar & Ideam abſolutiſſimam. Efficitur & iſtud, ejusdem virtutis GAŁECCIANÆ prodigio, ut trina veteris Ter Maximi Magnitudo, dùm triplicis Tuæ Magnitudinis acceſſione Ter geminatur, ſic tamen multiplicata, unitatem non excedat, quòd non aliena Tibi additur, ſed Tua redditur Magnitudo: niſi hoc ſolo Nomine multiplicata cenſeatur, quòd in Te Major, quàm in illo Ter Maximo

appareat. Crescit nimirum, decrescitq́ virtutis quantitas, ad incrementa Nominum in quibus attollitur, vel deprimitur: nec ullus longius latiusq́ eam produxit, quàm qui nec in prima, nec in media, nec in ultima ætate corripuit. Atq́ hæc est Trina Tuæ virtutis mensura; PALATINE ILLUSTRISSIME: triplex nempe illa Tua Magnitudo, in prima ætate, Heroica Martis, in media, libera Equitis eruditissimi, in ultima, purpurata Senatoris Maximi. Auget extenditq́ in Te Polonum Trismegistum, Magnitudo ex avito genere, Magnitudo ex conjugali fœdere, Magnitudo ex fortunato cum primis Poloniæ Magnitudinibus nexu, derivata: jamq́ si alia hæc profecto Philosopho TRIA SVNT DIFFICILIA, & QVARTVM PRORSVS IGNORATVR *nempè æquale Triplici Magnitudini Tuæ encomium. nempè* grandes materias ingenia parva non sustinent, & ipso conatu ultra vires ausa, succumbunt. *Principia Magnitudinis Tuæ ille scrutetur, qui Nili scrutari tentat Originem; ut magnorum fluminum, ita & Nominum fontes, admiratione disertiùs, quàm oratione coluntur:*

Hieron. ad Nepotianũ.

tur:

tur: illud sufficiat Domui Tuæ Illustrissimæ inscripsisse, quod Martius Pòëta Nilo inscripserat. Non licuit populis, parvum te Nile videre. Lucanus. *Increscant intumescantq; exiliora vada, allapsu hinc inde affluentium rivulorum, GAŁECCIANI Sangvinis, tota sese in fonte explicuit Magnitudo, nè vel infami multorum naufragijs fortunæ Eurippo, vel aureæ Tagi aut Hermi cujuspiam, Patriæ fatalis tempestati, vel emendicatis paludatorum siderum influxibus, quidquam deberet in acceptis. Atq; ut alios, æternitatis laureis coronatos GAŁECCIORUM Manes, inter beatæ pacis otia quiescentes, solenni Divorum cultui adorem silentio, vobis & vitam & animam, Philosophica hæc debet pagina, quos etiamnum superstites, in suam, in publicam scilicet gloriam & salutem, vivere, universa agnoscit Polonia. In Te Tuisq; meritis, Fraterna Magni Palatini ac Generis GAŁECCIANI gloria, feliciùs quàm in suo Atlante cœlum recumbit, Perillustris Magnifice Domine IOANNES GAŁECKI Vexillifer Zytomiriensis, Capitanee Bidgostiensis:* Perillustris M. D. Joannes Gałe- *sociâsti Capitaneis fascibus bellatrices Aquilas Ma-*

cki Vexilli-
fer Zytomi-
rienſis Fra-
ter Illuſtris-
ſimi Palatini

Magne Aquilifer, ut orbi Polono palam exhiberes, bono omine fortunatisq; Avibus, Te Tui Capitaneatûs Imperio cœlitûs deſtinatum, qui ſub militari Tuo Labaro, non ſolùm formidabilem flagitijs potentiam, verùm etiam amabilem rectèfactis proſperitatem, territorio Tibi ſubjecto importares. Adjeciſti ſublimi fortitudinem ſapientiæ, Palladem imitatus, quæ intùs ſapiens, foris armata eſt, nec unquam triumphale muneris officijq; Tui ſignum, magis candidum Patriæ exhibuiſti; quàm dùm illud hoſtili toties ſangvine cruentares. Nec plura audet GAŁECCIANA ſvada profari, nè erubeſcas ad laudes Tuas, imò ut altiùs erubeſcas id precatur, ut brevi rubor Tuus fiat purpura, & candidũ gentilitij Iunoſæ vellus in Senatorium muricem transformetur. Quid memorem Seraphicum illud è domo GAŁECCIANA decus, Franciſcanæ columen familiæ Patruum Tuum Religioſiſſimum Palatine Illuſtriſſime: fraterna quidam in lingva & labijs portent Nomina, quibus non profundior ore, nec ſtabilior fugacibus verbis amor, Tu Avitum Patrui vultum, amoremq; ut in corde Te ferre demon-

Patruus Il-
luſtriſſimi
Palatini, Or-

ſtres,

ſtres, refers in pectore, præfers in moribus, ad illiusq́ Archetypum Senatoriæ vitæ typum conformans, non minus in gloriam, quàm in vitam moresq́ transtuliſti. Parum ſcilicet erat GAŁECCIANO Iunoſsæ, in Civiles purpuras avitum ſuppeditare vellus, niſi etiam in Sacras Togas ſufficeret, ſi quis iſte profecto dilectus Franciſco Agnus, qui non veſtigia tantum Divino æſtu calentia, verùm etiam candorem ſui Paſtoris imitatur, dignus qui in cœleſti refulgeat zodiaco, poſtquam illud quod in Gentilitijs Ceris notat ſydus, vicinum ſoli Seraphico refulſerit. Iam conjugalia fœdera, quantùm Illuſtriſſimam Magnitudinem GAŁECCIANAM extendunt? ſequuntur Illuſtriſſimam DZIEDUSZYCCIANAM ſtirpem, GAŁECCIANÆ Domui intimè connexam, immortalia WISNIOWIECCIORUM, IABŁONOWSCIORũ, LESZCZYNSCIORUM, MLECZKONũ &c. Nomina & decora, gemmæ ſcilicet coronam, tot Nomina Auguſtum Magnæ Palatinæ Nomen exornant. Fuerit quondam Amphilia Cymbriæ ſerenitas, Pulcheria Romani Phœbe Imperij: Tu Polonia, in una Palati-

dinis Sancti Fráciſci Doctrina & pietate eximius.

na

na Illustrissima, innumerarum Purpuratarum Heroinarum decora intuêre, & recense si vales, quis enim stellas numerare præsumat? Prudentiam virtutum gemmam, & Senatoriarum mentium germanum decus, in Palatina Illustrissima requiris? ROSALIA id est SIGISMVNDO, quod Cyro Aspasia, Trajano Plotina, Augusto Livia. Pietatem in Sacras Religiosorum familias inquiris? Pulcherias, Blancasq; in Palatina Illustrissima vivere non dubita. Iunguntur Augustæ Matri Materna sidera, & siderum gemmæ, SOPHIA & FRANCISCA, par Sororum plane sidereum, gemina Rosarum atq; Liliorum Calathus, Eboris Ostriq; commercium.

Consors Illustrissimi Palatini pietate alijsque virtutibus insignissima.

Filiæ Illustrissimi Palatini maximæ spei.

--- Modestia, candor,
Ingenuus, Pax, cana fides, concordia formæ
Atq; pudicitiæ, pietas, svavissima morum
Temperies.

P. Balde.

Tu verò Palatine Illustrissime, jam non Alexandri, sed SIGISMVNDI MAGNI, nempè Tuum ex asse, quia Tuâ munificentiâ Tibi obæratum reputa Aristotelem. In Trismegisto verò Polono-Philosophico Senatorem, Legatum, Militemq; cùm legeris, Te ipsum intellige. mihi ampliùs præter vota scire nihil superest. Vive Palatine Illustrissime semper fortunatus Trismegistus, nempè longæva incolumitate MAXIMVS, secundâ semper fortunâ MAXIMVS, debitis subjectisq; virtuti Tuæ dignitatibus, MAXIMVS.

Ita precatur è voto Universæ Philosophiæ.

JOSEPHUS LEYB Seminarij Varsaviensis
ad S. JOANNEM Alumnus.

STRVCTVRA PRIMA
SENATORIA
IN PHILOSOPHIA
TRANSNATURALI.

Fascibus insignes & legum culmine fultæ
Convenêre Domus, & qui lectissimus orbi
Sangvis erat. — Claudianus.
Per fasces numerantur Avi, semperq́; renata
Nobilitate virent. — Claudianus Panegyri Olybrij & Probini.

INSCRIPTIO PHILOSOPHICA PRIMA.
THESIS.

SCientiæ transnaturalis Majestas tam est sublimis, tamq; universalis, ut nullis partium differentijs sese immittat, nullas particularitates sequatur, abstractissimi Entis contemplationi intenta: hinc etiam inter symbolicas statûs sui tesseras istam recenset.
Ens potest perfectè præscindi à differentijs, & differentiæ vicissim ab Ente.

HYPOTHESIS.

OSsolinscianæ Domui Illustrissimæ illud meritò inscripsero, quod quispiam Alveari apum adjecit: *privati nil habet ista Domus.* Hæc fuit mens Catonis, hæc Fabij; hæc Metelli, hæc hodie OSSOLINSCIORUM

--- *Patriæ impendere vitam,*
Nec sibi, sed toti genitos se credere mundo.

Tot hæc magnorum Comitum Domus complexa Catones, quibus Patriæ dignitas honore proprio carior judicatur, tot Attilios, quibus vel sepulchralibus saxis in terminales erectis lapides, patrios extendere fines est solenne, tot Æmilios ac Scipiones, quibus vitâ dul-

ciùs ſaluti Patriæ immori, ejus fortunam, ſuarum diſpendio fortunarum propagare, intra Religionem, ac cardinalia Domûs Celſiſſimæ jura recenſetur.

Jam ſi Illuſtriſſimæ Familiæ OSSOLINSCIANÆ origo & claritas ſtylo committeretur, integra Annaliũ laboraret volumina, cum Bielſcio teſte Inſigne ASCIÆ vulgò STARZA à vetuſtate dictum, ante Craci imperium, Polonos Heroes exornârit, atq; adeo Palatinis Faſcibus, diviſa in duodecim Palatinos Regni adminiſtratione inſertum reperiatur. Hinc iſte purpuratus OSSOLINSCIANI ſangvinis progreſſus Rubicon, tot Comitum ac Senatorum biſtinxit purpuras, quot Senatui Polono intulit OSSOLINSCIOS, tot Senatui intulit, quot in lucem protulit, Sago Togaq; illuſtrisſimos. Innovârunt veterum STARZONUM COMITUM TĘCZYNIORUM OSSOLINSCIANÆ STIRPIS Aboriginum gloriam ANDREAS OSSOLINSKI Caſtellanus Viſlicenſis Mars in Sago, in Toga Polonus Conſus: JOANNES OSSOLINSKI Comes de Tęczyn, Wilmuntow, Oſſolin, & Balice Caſtellanus Radomienſis, Vladiſlai III. Poloniarum Regis Minorennis, Tutor, atq; Regni pro tenello Principe adminiſtrator; non impar profectò unius majeſtatis portando oneri, è cujus humeris Regis ac Regni, duplicatum ſecurè ac gloriosè onus pependiſſet. Atq; ut à primis Iberis ortus oceanus, in æquora partitus innumera, quot circumfluit gentes, terras, ac Regna, totidem acquirit nomina, jamq; Arabicus, Perſicus, Gangeticus, Magnus, Sarmaticus, Herculeus, Gaditanus, Indicus, Atlanticus &c. appellatur, ita ex Capitolio immortalitatis OSSOLINSCIANÆ, ceu è capite profuſus OSSOLINIORUM ſangvis, innumeris Nominibus tituliſq; totam latè implevit, impletq; Poloniam. Quæ penna comprehendat Sarmaticum illum OSSOLINSCIANÆ Stirpis Oceanum, noſtræ ætati viciniorem;

nem-

nempe ZBIGNEUM OSSOLINSCIUM Palatinum Sendomiriensem, è cujus gemino connubio, ceu totidem purpuratis alveis OSSOLINSCIANA profusa posteritas, paludatis ætates implevit annis, annos annalibus exæquavit, Annales oneravit meritis, merita emeritis in Sago & Toga Insignibus coronavit. Primo, imò Principe universæ Familiæ voto, ad orbis vota è fortunato ZBIGNIEVI & FIRLEIOWNÆ connubio, exortum illud Polonæ Eloquentiæ flumen, illimis svadæ flexanimæ fons, GEORGIUS OSSOLINSKI S.R.I. Princeps, Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, in quo Poloni Senatûs majestas, postquam se ipsa majorem agnovisset, Europam universam impletura, in capite orbis se explicuit, Latioq; se intulit, ut præferret. Vidit URBANUS VIII. PONTIFEX MAXIMUS in Magno Legato grande illud, Senatorium plane ac veterum Fæcialium authoritate augustius supercilium, & non dubito, quin communis orbis Pater, sterilem illam paribus edendis ingenijs ætatem expertus, Georgium UNICI FILIJ Nomine, insignivit. Obstupuit Roma in Senatore Polono Senatûs Romani majestatem, & vivæ vocis oraculo à Capite Ecclesiæ derivato conclusit *Credere se Ciceronem pro rostris meliùs & majori populi Romani cum voluptate non perorâsse*, Asseruitq; simul vetus Latium in Lechiam migrâsse, in qua ejusmodi orbis decora nascerentur, qualia post veteres Tullios Romanis non ampliùs superessent. Et quia virtus Phænix non est, ejusq; species in individuo non salvatur, & magnitudo Heroum longa serie suos respicit Protoplastas, generosaq; germina similes repullulant in ortus. Hinc paterna Georgij Gloria grandia Poloniæ solatia geminavit, postquam ex Georgio oriri FRANCISCUM, & in FRANCISCO redoriri Georgium fortunato Patriæ Horoscopo ostendisset. Verùm cum invida fatorum series, deneget magna stare diu, ostendê-

Vassembergius Gestorum Vladislai IV. Par. 2. l. 1.

re Franciſcum tantum terris, nec ultra eſſe ſivêre, excelſaq; Georgij ſolatia, velut in radice ſubvertere molita, paternas ſpes in Filio amoliebantur. At faventius ſemper OSSOLINSCIANÆ Familiæ cælum, adamantinum Fatorum robur, cerea planè ſequioris ſexûs manu confregit, poſtquam unius jacturæ nati, triadem natarum ſufficiens, tribus Parcis totidem Polonas Gratias oppoſuiſſet. Ex illa tandem Heroidum triade, Helena Alexandro, Oſſolinia Lubomirio Palatino Cracovienſi nupta, Joſephum Lubomirium Mareſchalcum Curiæ Regni etiamnum ſuperſtitem dedit Poloniæ. Altera Georgij Nata Tereſſia Anna, SIGISMUNDO S. R. I. Comiti à DONHOFF, ô quam auſpicatis ſociata thalamis, ex qua fortunata proles in Georgio, Georgius, in Cancellario, Cancellarius, in Nepote Avus eſt renatus, poſtquam avitus honor, in honore Nepotis maximi renaſceretur. Profectò felix illa dies, quæ magni conſcia partûs GEORGIUM edidit, aviti ut ſangvinis, ita honoris heredem, hoc glorioſiorem, quod jure virtutis magis, quàm ſangvinis avitam dignitatem hereditâſſet. Tranſiit non gravatè Cancellarius Honor in Magnum DONHOFFIUM, non minùs JOANNIS III. Poloniarum Regis Invictiſſimi imperia, quam merita ſecutus, poſtquam ſolennis hic virtutis pediſſequus, avitorum meritorum in Magnum Nepotem tranſeuntium veſtigia deprehendiſſet. Involavit facile cum ſignatoria Regni gemma, manum ALBRACHTI Polona Aquila, poſtquam cognatam Honori prædam, virtutem ſcilicet in ea, Præſuleo murice rubeſcentem obſervâſſet. Sapientiam Magni Georgij, eloquentiamq; mellifluam, Os aureum, oraculum Regum, qnoties purpuratus Patrum Patriæ audivit Senatus, toties Donhoffiano auditus eſt Tullius ore loqui.

Celſiſſimus PrincepsGeorgius Donhoff Epiſcopus Premisl. Cancellarius Regni.

Te pie-

Te pietas, Te cana fides, jucundaq; mitis P. Balde in Elogio Blittersviciano.
Temperies animi, manans ceu limpidus amnis
Præripiunt circumq; meant, Te gratia fandi
Et Themis, & firmo nitens Prudentia talo,
Ante omnes illustrat Avos.

Jam si Regalia Poloniæ judicia, cælo à Te reducta Astræa inspexerit, veterem Areopagum in Assessoriali Tua Curia, in Te uno innumeros spectabit Aristides, qui partium studijs haud obnoxius, omniq; altior ambitu

- - - - placidi moderamine juris
Occurrens facili componis dissona nutu, Idem ibid.
Concentumq; facis legum, morumq; tenore
Non favor obliquat causam, non cogit in arctum
Asperitas. Lancem facundia vergit in æquam.

Tertia Zbignievi Ossolinij Palatini Sendomiriensis nata Ursula Birgitta in fædera vitæ thalamiq; sociata Kalinovio, Præfecto Castrorum Poloniæ, triade filiorum innumera Domûs Illustrissimæ vota coronaverat, verùm breves in duobus experta delicias, Magna Domus, tertij Capitanei Gniewkoviensis & Łoioviensis Filiam, spei purpuratæ heredem MORSZTYNIO Capitaneo Kovaliensi nuptam, immortalium è Domo Ossolinsciana Heroinarum Heroidumq; abolutissimam graphydem, omniumq; in una Epitomen reliquit Poloniæ. Atq; hæc est prima Ossolinscianæ Domûs series, quæ à Zbignievo non minus in nostra tempora, quam fastos æternitatis, per innumera lustra, & Olympiades continuato cursu influxit: neq; tamen more exilium fluminum currendò currere cessat: in secundam imò secundissimam Ossoliniorum seriem ab eodem fonte profluentem, attolle oculos Polonia, successusq; veteres melioribus fatis correctos venerare. Prima nempe Zbignievi vota adversantibus Fatis in Firleiowna, eversa, erexit secundavitq; juncta Polono Honorio Pulcheria,

ria, ſive Serena Probino, è Domo Illuſtriſſima Sienienſciana in decus & ſpem Oſſolinſcianæ Domûs asſumpta; geminâ illa prole, conjugalia vota coronavit Zbignievi, nempe Chriſtophoro Palatino Sendomirienſi, & Maximiliano Caſtellano Czerſcenſi: ſecundior primo ſecundus & vel inde primo prior, imò Primus Felicianus, quod vota auguſti Patris, primogenito beâſſet auguſtiùs: atq; non ignarus, ut terræ ita thori conjugalis primitias cælo deberi, primi voti è Kazanovia Mareſchalcide Regni ſuſceptam triadem Filiorum totam litavit ſuperis, poſtquam tres Religioſos Aſcetas, & Aſcetarum Abbates, trinum nempe perfectiſſimum obtuliſſet, ratus ſupremæ illi conjugalium fæderum arbitræ Triadi, plenius ſe non ſatisfacturum, quàm ſi totam, quam ab eadem acceperat triadem reſtituiſſet. Nec defuit liberalitati Oſſolinſcianæ, liberalior ſemper erga mortales cælitum munificentia, poſtquam enim Maximilianus Filios cæleſti vitæ, & Divorum Filiorum Matrem Divis cælitibus adſcripſisſet, Sieninſciæ Glębocciam ſuffecit, thalamumq; Maximiliani, quot Filijs, totidem gemmis diſtinxit, è quibus alijs in coronam æternitatis tranſlatis, vivunt adhuc, & diadema Poloniæ ornant & armant Maximilianus, Michaël, Sieciechus Caſtellanidæ Czerſcenſes, Magno Parenti par ſoboles. Hanc demum à Magno Zbignievo derivatam Oſſoliniorum ſeriem, augent fraterna Nicolai Oſſolinij Palatini Podlachiæ decora, quibus verior Deorum Mater Oſſolinſciana Domus coronatur, Domus inquam, cui longa propago, innumeræq; manus. Non ceſſit profectò Zbignievianæ felicitati fortuna Nicolai, quam pares thalami, & thalamorum par gloria prolis pariter fecêre immortalem. Novam à Nicolao Oſſolinſciorum ſeriem tergemini deducunt Fratres; nempe ut majora flumina quò latius circumfluæ regnent telluri, in plures ſeſe dividunt

alve-

alveos in unum tandem oceanum provectis in immensum fluctibus refluxura, ita & geminorum Ossolinsciorum virtus trifariam divisa, in unum tandem Capitaneum Drohiciensem sese collegit, ut unita virtute, in nova illustrissimi sangvinis incrementa fortiùs & copiosiùs se effunderet. Hinc demum exorta illa inclyta Ossolinsciorum Nomina, Jacobus Ossolinski Vexillifer Mielnicensis, Maximilianus, Venator Podlachiæ, Georgius Vexillifer Nurensis. Hinc magno Jacobo non minor soboles Stephanus Ossolinski Ensifer Mielnicensis, Antonius Ossolinski Pincerna Mielnicensis. Hinc Vexilliferi Nurensis Sacra Civiliaq; pignora, Dionysius Dapifer Nurensis, Zbigneus Canonicus Lateranensis, Joannes Ossolinski Abbas Vitoviensis, Michaël Fratrum minimus, par gloria Maximis. Hæc tantaq; Ossolinsciorum Nomina, merita & virtutes, quisquis invalida penna recensere præsumpserit

--- Immensum natatu
Exiguo superare Lembo
Præsumit æquor.

Te vero magni Maximiliani maxima Proles, cui hæc se obæratam pagina profitetur, quibus celebrabo encomijs? Ac te imprimis Perillustris Magnifice Domine Casimire Ossolinski Dapifer Podlachiæ. In Te paterna Ossolinsciorum Maternaq; Krasowsciorum concentrata Decora, collecti è materno sangvine Krasinsciorum, Sapieharum, Kuklewsciorum, Podosciorum, Szydłowsciorum, Nieborsciorum, Mączynsciorũ, Karsciorum, Butlerorum, Chądźinsciorum, Iłowsciorum, splendores, grande gloriæ, meritorum, virtutum, Poloniæ exhibent compendium, adeò ut vel Te in omnibus vixisse, vel Tuâ omnes spirare animâ crediderim.

In reliquis scintilla micat, tu totus Avorum
Ignibus ardescis.

Jungeris ut sangvine sic meritis Castor dilecto Polluci

Per-

Perillustris Magnifice Domine Francisce Ossolinski Vexillifer Drohiciensis, quorum æquatas sangvini ac germanas plane dotes, quisquis attentiùs inspexerit, illud meritò inscribet, quod quispiam soli imaginem suam nubibus imprimenti apposuit, *an duo, an unus?*

Ore pares Patremq; genis Matremq; secuti,
Priamidæ gemini studio certante, Minervam
Partiti: colit hic artes, hic arma fatigat
Deifobum Mavors, Helenum demulcet Apollo.

Dares Phrygius l. 4. de bello Trojano.

Vivite magnæ Ossolinsciorum animæ, assurgat in Magno Casimiro & Francisco, Michàéle, Adamo, Joanne, Ossolinsciorum gloria, ac cum sangvine avito, per Polonum diffusa orbem, non jam scuta galeasq; virûm, verum Ducales Clavas, signatrices legumq; Custodes gemmas, Rectores Terrarum Scipiones, Palatinas Curules in Capitolium æternitatis Ossolinscianæ triumphali portet & reportet refluxu.

STRVCTVRA II.
MARTIA.
IN PHILOSOPHIA NATURALI.

In qua res Italas Romanorumq; triumphos
Haud vatum ignarus, venturiq; inscius ævi
Fecerat Ignipotens. Illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataq; in ordine bella.

Virgilius Æneid. l. 8.

INSCRIPTIO PHILOSOPHICA II.
THESIS.

Bellatori Philosophiæ Naturalis Exercitui, omnis campus arena, nulla in bellis cunctatio, idemq; est in campo consistere ac confligere. Hinc & solennis Philosophi Naturalis tessera

Inter Agentia contraria debitè sibi applicata, datur actio & reactio in primo instanti applicationis.

HYPO-

Oſſolinſcianum eſt illud, quod ſuo Cæſari Florentinus inſcripſit Pòëta *Reptaſti per ſcuta puer, Thracumq; recentes exuviæ, tibi ludus erant.* Faſtus ille nimium arrogans cujusdam erat militis, qui à ſuo Imperatore de origine interrogatus repoſuit: *Bellona me genuit, Mars auſpicijs Geticis luſtravit infantem, Victoria nuctrix fovit ſinu, cadentem de Matre, clypeo excepit, vix auras traxi, & jam alliſi vagitum umbonibus.* Faſtus hic inquam erat, eventus reſq; Martijs Oſſolinſciorum Heroibus ſervabatur, quibus aliter naſci, quàm Heroes non licet, non Cygneis plumis, verùm horridis Leonum exuvijs, galeis loricisq; incubare, ſub tentorijs caneſcere, nec aliter vitalem lucem, quàm Hercules in cunis, jam Jove dignos intueri. Vivit in poſterorum memorijs Nicolaus Comes de Balice Oſſolinſki Caſtellanus Viſlicenſis, Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis, tum Vladiſlai Iagellonis ob Martiæ virtutis à tenera ætate gloriam amor & delicium, Polonus Druſus, cui nec Adoleſcenti feriæ contigerunt, totaq; ſub galeis Mavortia canuit ætas. Aſſurgit inter Gradivi hederas, Andreas Oſſolinſki, qui bellica virtute ætatem prævertens, prætextam ſago commutans, in caſtris Sigismundi Cæſaris, & Hungariæ Regis, poſt coronata innumeris victorijs bella, à Proceribus Hungariæ invictus Heros, & ſæculi illius Hercules eſt appellatus. Invicti Patris fortitudinem occupârunt cum ſangvine non inferiores Nepotes Joannes, Andreas, Nicolaus, Hieronymus, non partâ ſolùm domi, verùm etiam quæſitâ ultra Patriam belli gloriâ clariſſimus, qui in bello Senenſi ſub Joanne de Medices Hetruriæ Duce, non tam paſſibus quam laudibus & victorijs poſtquam integram replêſſet Europam, ſeræ palam reliquit poſteritati Oſſolinſcianæ gloriæ magnitudinem uno non claudi orbe, ac demum ſub pellibus æſtatem ducere, ſub tentorijs hyemes pati,

Claudian. de tertio Conſul. Honorij.

inter fulmina belli, lituosq; Gradivi quiescere, stragibus ac mortibus incumbere, bella & victorias somniare, illud planè Polonum ac Ossolinscianum esse. Quis reliqua Ossolinsciani Martis pignora, quis in triumphales laureas vel è mortualibus bustis reflorescentes Polydoros recenseat, fastis æternitatis perenniori adamante inscriptos. Sufficiat ipsis Poloni Vatis entheo & calamo inscripsisse.

Hi vel corusco se propè siderum
Curru locârunt, vel propiùs Deo
E nube reclines curuli
Sub pedibus sua fata cernunt.

Si ubi fortes creari fortibus inter apocrypha degener à Magnis Natalibus recenset partus, in vobis par maximum Fratrum Casimire & Francisce oraculi fidem habeat est necesse, & ut

- - - - Se vellere toto
Prodit, Avosq; suos Massyli bellua saltus,

Ita se in vobis spectat Diva Parens Ossolinsciana Domus lætata genuisse pares. Vos magnæ animæ in suo Achille descripsisse videtur Phrygius Vates

Dares Phrygius de bell. Troi. lib. 4.

- - - - pius æquat Achilles
Vultu Phæbum, animo Gradivum, Pelea membris.

Vive Magne Casimire ætates semper triumphales, Tibi amica Bellatoribus Numina Mars & Latonia, triumphalibus palmis fortunata extendant sæcula, & Martia

Laurus annosum tibi signet ævum
Fata Te nôrint, properentq; Parcæ
Nescium carpi Tibi destinatos
Stamen in annos.

STRV-

STRVCTVRA III.
SACRA.
IN ANIMASTICA

Hic genus antiqvum, Teucri pulcherrima proles,
Quiq; Sacerdotes casti, dum vita maneret Virgi. Æne. lib. 6.
Quiq; pij Vates, & Phæbo digna locuti
Inventas, aut qui vitam excoluêre per artes
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.

INSCRIPTIO PHILOSOPHICA III.
THESIS.

CUm omnium viventium nihil poſt fata ſuperſit, homo tum maximè vivit cùm moritur. Hinc etiam teſſera Philoſophica.

Anima rationalis eſt immortalis.

HYPOTHESIS.

OSſolinſcianæ Immortalitatis Capitolio illud adamantino ſtylo inaratum lego.

Non totus moriar, multaq; pars mei Horat. l. 3. ode. 30.
Vitabit Libitinam.

Eant malè felices illi mundi Fortunati, & ſuam felicitatem futurorum improvidi, quia increduli, præſentibus tantùm circumſcribant ſolatijs, æternis proſcribendi, eant inquam & molli Epicuri cæno, erectos ad cælum immergant oculos animosq; vivant Sybaritas, quibus mollis voluptas pro Numine colitur: ruant quo libet ruptis recti honeſtiq; pedicis, excuſſo Legum Divinarum jugo Libertini illi, quibus nihil magis licet, quàm quod illicitum, nulla gratior licentia, quàm in carnis ſervitute, nec major libertas, quàm ſub crudeli corporis Dictatura. At ô quàm arcta gemunt ſub cuſtodia, quibus omnia clauſa præter inferos, nunquam

non pavidi, quia nunquam non rei: ut enim Innocentia se ipsam sine custode tuetur, ita crimen nullo arcium munimento est securum. Ossolinscios, amor Dei ad terrorem lethi immobiles, ceu saxeam figit Nioben: nempe nihil timet, qui grandia sperat, contemptorem animum vitæ præsentis, parit non dubia spes futuræ. Hinc in Ossolinsciana Domo Illustrissima nata feliciter in sacratis Deo animabus victura perenniter, gloriosissima illa morientium Ossolinsciorum mundo funera, felices animæ cælestia suspirantes, mundo exspirando immortale Divinioribus exedris & Religiosorum asceterijs decus inspirârunt. Spectavit Polonia Joannem Ossolinski Equitem Melitensem, Hieronymum Ossolinski Abbatem Coprinicensem, qui ob morum suavitatem & vitæ innocentiam deliciæ sæculi illius, communi Poloniæ ore meruit appellari. Vidit in tribus Ossolinscijs tergeminos Abbates Pokrzywnicenses, suspexit Jacobum Ossolinski Andreæ Castellani Radomiensis Filium in Societate JESU insignem vitæ morumq; integritate Ecclesiasten ac Theologum, vidit alia sanctioris Togæ Ossolinsciorum Numina, illudq; cuivis, Orthodoxi Vatis inscripsit encomium, *tantum spectabat euntis ora Dei, vultusq; suos flectebat in illum.* Spectat etiamnum Zbigneum Ossolinski, Canonicum Lateranensem, Joannem Abbatem Vitoviensem duo Lumina Fratrum, ac Ledæa Togæ sanctioris sidera, quibus inter purpurata Poloni cæli Lumina, arcano cælitum consilio disponuntur avitarum dignitatum curules, jam coronatus Lechiæ

Claud. de laud. Probini & Olyb. Fratrum.

--- Signifer optat
Adventum: stellisq; parat convexa futuris.

STRVCTVRA IV.
EQUESTRIS.

IN PHI-

--- hic Cæsar & omnis Iuli
Progenies magnum cæli ventura sub axem. Virgil. lib. 6. Æneid.
Nam si dispositis fumosa per atria ceris
Pondus inest aliquod pretiosaq; stamina secum
Natales, & Fata ferunt, magnumq; putatur
Per longam seriem, Torquataq; funera nosci?
Quisnam OSSOLINIOS non sangvine censet avito?
Intemerata suos cingunt monumenta Nepotes, Balde.
Nobilitas à fonte fluit, rubigine sacra
Claras effigies, stirpemq; attollit origo.

INSCRIPTIO PHILOSOPHICA IV.

THESIS.

GEnus Logicum subsistere non potest, nisi plurium specierum columinibus innitatur. Hinc etiam tessera Nobilitatis Logicæ.

Genus est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid incompletè, ideoq; essentialiter requirit plures species.

HYPOTHESIS.

OSsolinsciani generis longa propago innumeræq; manus, & iturus in æthera vertex. Arborem illam Indicam in innumeras arbores, imò sylvam integram, excrescentem, meritò ego Ossolinscianam Illustrissimam Domum appellavero, ac potiori jure inscripsero UNANEMUS. Quoties profectò hanc inclytam stirpem cogito, videre etiam videor auream quandam in Elysijs Poloniæ campis Arborem, quæ fulgentes viridi ramos curvata metallo, aureis frondibus pomisq; prædives fortunatum Patriæ semper felicitatis facit autumnum. Decerpserit sanè non paucos mors invida pretiosos fœtus, non unum communia fata infregerint virgultum, integer tamen vivusq; truncus, iterum visus simili alia fronde virere nova. Dicam re-

ctè cum Theodorico Rege *Nati sunt Fasces ex Fascibus & naturam retinentes fœtus arborei, pullularunt iterum decenter abscissi.* Atq; ut plura Magna Sago, Maxima Toga Ossolinsciorum Numina, in diserta svada profundiori veneretur silentio: in fontem suum recurrit oratio in Te inquam Perillustris Magnifice Domine Casimire Ossolinski Dapifer Podlachiæ: quis Togæ Curulibusq; Lechiæ, proxima, illa mentis Tuæ Decora, illas Ossolinscianas planè dotes exæquet? Tua est illa virtus quam suo Trajano Magnus adscripsit Orator: *Perinde summis atq; infimis charus, tanta concordia gloriam amoremq; contigisti, ut nihil veritati hilaritate, nihil gravitati, humanitate detrahatur. Hæret lateri Tuo quisquis accessit, finemq; sermoni suus cuiq; pudor non Tua superbia fecit.*. Ornabatur quondam Nobilitas aurea veste sub Antiocho, picta chlamyde sub Sertorio, purpurâ sub Cleomene, expolitis armis sub Cæsare, rubenti sagulo sub Artaxerxe, candenti tunica sub Cyro, scuto puniceo sub Agesilao, figuratis auro Togis sub Aureliano, amictu argentea cruce signato sub Constantino, Tibi Magne Dapifer non alius cultus placet, quàm qui Tuorum majorum virtutibus & meritis distingvitur, meritis inquam, ad quæ Te & Pater Æneas, & Avunculus excitat Hector: dicam clariùs Polonus sacro in murice Nestor Celsissimus Princeps Cancellarius Regni, ille inquam Senator; illa probatissima ingeniorum lima, Lydius planè Sacræ Civilisq; Politiæ lapis, ad cujus trutinam toties indolem Tuam exploratam ante fidem solis judiciumq; Poli Poloni, parem avitis honoribus, ostentat Genius ille verè Ossolinscianus, purpuratorum sensuum interpres & arbiter familiaris. Derivâsti à Literatissimis Majoribus cum sangvine mentem illam, quæ Literariæ Palladi apertum in Te pectus & manum semper proponit, adeo, ut jam Aristoteles noster suos Horatijs Mecænates, Martialibus Domitianos,

Plin. in Trajan.

Vir-

Virgilijs Octavianos, non invideat, poſtquam omnes in uno poſſidet Oſſolinſcio. At ſiſte calame, nunquid tu uno eoq; tenui pede laudum intervalla percurrere poteris, quæ in longam æternitatem porriguntur. Erunt, erunt graviores Plinij, qui Orthodoxum hunc Trajanum ſtyli majeſtate proſequentur, erunt Diviniores Horatij & Virgilij, qui omnem Pòéſeos concentum ſuo Nomini conſecrabunt. Tibi quem ſemel pro merito colere non ſufficit, ſufficiat perenni ſemper colere gratitudine.

Tibi quoq; Illuſtrium Heroum ſangvis Perilluſtris Magnifice Domine Franciſce Oſſolinſki Vexillifer Drohicienſis, nihil cum adventijs colorum umbris, ad Ideam Magni Herois adumbrandam, qui tibi ipſi ſatis es. in Cujus vultu Auguſtale Majorum Gloria delineavit, ut illi ex factis tuis feliciùs, quàm ex Faſtis legerentur. Occupâſti cum avito magni Cancellarij corde cor Poloniæ in ſignatrice, legumq; Cuſtode Cancellaria Gemma, Albrachto, dicere debui Sacratioris Purpuræ Alexandro dilectus Hæphæſtion, Cancellarioq; ſignaculo, & Regias olim JOANNIS III Gratias, & Pectus avitum Magni Cancellarij, Tibi æternùm conſignâſti: Quid enim non conſignares Regias Præſuleaſq; Tibi gratias; poſtquam validam meritorum manum ſigillatrici Gemmæ admoviſſes; manum inquam illam, quâ glorioſiſſimus Tui Territorij Aquilifer, triumphalia ſigna Aquilaſq; nunquam non fortunati boniq; ominis, Deo, Regi, & Patriæ explicâſti.

Felix ille Parens, qui Te ſecurus Olympum
Succedente tenet; quàm lætus ab æthere cernit
Se factis creviſſe tuis. — Claud. de ſexto Conſulatu Honorij.

Tene feliciter prodroma Majorum Inſignium ſigna tua Magne Signifer, avitiq; muneris ſignaculis, cor Patriæ, ſupremarumq; in patria dignitatum Teſſeras, Tibi conſigna feliciter.

Per-

Perge - quò certis vocat inclyta Gloria signis,
Expectatq; suum sudoris filia civem.

Vivite Magna OSSOLINSCIANÆ Domûs Columina CASIMIRE, FRANCISCE, MICHAEL, ADAME, JOANNES,

Vobis & Vestris meritis fœderatus militet æther,
Et conjurati veniant ad præmia Divi.

Philosophus interea OSSOLINSCIANUS anteactis sæculis cum admiratione spectatū, & cum eadem seræ spectandum posteritati, unum inter mille Ossolinscium Apelli similior, quàm Aristoteli proponit. Et in legatione unius, innumera Ossolinsciorū decora, merita, ac virtutes in decus ac præsidium Capitolij OSSOLINSCIANI attollit, tu Polonia Magni Civis, Senatoris optimi, Legati maximi, etiamnum post fata superstitem majestatem intuere.

LEGATIO SOLENNIS
Celsissimi S. R. Imperij PRINCIPIS
GEORGIJ OSSOLINSKI
Ducis in Ossolin, Comitis à Tenczyn
Supremi Regni Poloniæ Cancellarij,
EXCERPTA
Ex Everhardo Wassenbergio de gestis Vladislai IV. Poloniæ Regis part. 2. lib. 1.

SOlennitatibus Coronationis peractis, more Imperatoribus Regibusq; Christianis consveto, de obedientia summo Pontifici exhibenda Poloniæ Rex Vladislaus IV. cogitare cæpit, quam præstare quidem certissimum erat, sed per quem, in deliberationem venit.

Opor-

Oportebat enim talem esse, qui Regis Septemtrionalium maximi, majestatem, eminentiam, & magnitudinem, moribus suis referret, qui triumphos & victorias ejus, tum & liberrimæ gentis magnanimitatem, generositate sua exprimeret, & deniq; talem, per quem Vladislàús & Polonia loquerentur. Itaq; Rex non minus judicio, quàm imperio maximus, cæpit oculos suos circumferre ad opus, & cum plurimos in fortunata hac parte Polonia dignos intueretur, unum tamen ex omnibus Georgium Ossolinski legit velut opportuniorem. Quem virum, quia non tantum tantæ circa se Regis opinioni respondit; sed perennem etiam terrarum orbi, inusitata hac suæ legationis dispositione, splendore & ordine stuporem illisit, circa rarum, velut unà rapti curiosiùs aspiciemus.

Ut primùm ergò hic Princeps Ossolinski, hoc Legationis officium Romam jussu Regis sibi subeundum sensit, statim ad media, quibus tanti Regis, à quo mittebatur majestatem, victoriarum & triumphorum gloriam, prudentiæ ac magnificentiæ famam, divitias, viros & arma, quasi primo intuitu spectatrici Romæ, veluti compendio terrarum orbis ingereret, animum vertit. Ad quæ multa consideranti tria potissimum necessaria videbantur. Primò ut comitatum & famulitium legeret, probitate, moribus, corporis proceritate aut authoritate vultûs muneri suo conveniens, & ex quo singuli, sicut ille Regem, se loquerentur, non nescius ex horum compositione judicium de Rege, de Regno, de Legato sumi. Secundò ut omnes secum veste patria uterentur, tum quia nihil in illa fœminei, & procul ab omni mollitie magis venerabiles viros proponit, & militares animos viriliùs exprimit, tum etiam, quia nunquam antea Romæ visa, ipsa sui novitate tractos in curiosiorem considerationem intuentium oculos recrearet. Non ignorabat enim prudentissimus Princeps, si

peregrina Occidentalium Nationum veste uteretur, langvidiùs homines concursuros, nihil ampliùs quippè visuros, quam quod quotidiè præter oculos iret. Itaq; Ossolinius Princeps omnibus eadem magnanimitate, qua conceperat in effectum deductis, longinqui tandem itineris seriem feliciter auspicatus est. Et quamvis non lentè procederet, non ante tamen quam anno 1633. 20 Novembris Romanæ urbis territorium attigit, cui statim octoginta sexigæ Cardinalium, & Romanorum Equitum, cum Cardinale de Torres, amplissimi Poloniæ Regni Protectore, octo ultra Pontem militum milliaribus Italicis obviam prodierunt. Cùm autem Summus Pontifex Urbanus VIII. gravi tunc temporis catharro decumberet, peracto mutuæ salutationis officio ab eodem Cardinale de Torres, aliquot Roma milliaribus, versus Portam Flaminiam ad Palatium Julij III. deductus est. Inde assumptis comitum suorum præcipuis, ipse cum Cardinale de Torres, rheda Cardinalis Barberini, incitante Filio Marino Cameræ ejus Præfecto, exceptus Romam properavit, ut Summum Pontificem privato nomine salutaret. Quod disertissima oratione, & concinnatis in miram officiositatis speciem verbis ex tēpore faciens, statim prima quasi superficie rerum, amorem Summi Pontificis, nec non eximiam Eloquentiæ laudem meruit: adeo etiam ut Summus Pontifex summopere dolere se diceret, quod infirmitate impeditus, non statim pro voto suo, gratissimo ejus solenni ingressu frui posset. Cæterum absoluto privatæ salutationis officio Princeps Legatus ad Palatium Julij III. redijt, & quoad publicæ legationis suæ munus inter felicia sua numerâvit, quòd ob valetudinem Summi Pontificis aliquot diebus solennem suum ingressum suspendere copia fieret: tum ut longinqui itineris nauseam, tali præsertim tempore anni cum comitatu suo optata quiete decoqueret, tum etiam ut meli-

meliùs omnia ad ſolennitatem, & per otium quaſi diſponeret, diem ſui ingreſſus, quem aliàs caſus pro placito daturus fuerat, electurus: deniq; ut Romani, quibus quidquid poſt Criquium aliquis conaturus erat, vile videbatur, per occaſionem inſtar præludij nunc inuſitatorum veſtium novitate, nunc his, nunc raritatibus alijs ad ſplendorem ſolennitatis totius & curioſita-em, mutua invicem relatione irritarentur. Factum eſt ut Princeps judicaverat, & ea curioſitas animos Romanorum invaſit, ut in ſpem futuri ſplendoris Roma erigeretur.

Itaq; Princeps Legatus videns omnia ad intentum ſuum adoleviſſe, & valetudinem Summi Pontificis in melius ire, tandem 27 Novembris (qui erat dies Dominicus) tempore pomeridiano ad mentem Summi Pontificis ante Palatium Julij III, ſuos in ordinem ritè diſpoſuit. Quod ubi Romæ vulgatum, innumerabilis hominum multitudo portis ad ſpectandum effuſa eſt. Quin imò & omnis Romana Nobilitas, Cardinales, externorum Principum Regumq; Legati honoris gratia aulicos ſuos in occurſum misêre. Adeoq; & Romanus Pontifex ipſum aulæ ſuæ Præfectum Fauſtopoli, Amaſienſem Archiepiſcopum cum Cubicularijs omnibus & ſamulatu obviam ire juſſit. Et hac tam mirabili rerum facie, Princeps Oſſolinſki Vladiſlai IV, Poloniæ & Sveciæ Regis Legatus, Porta Flaminia Romam ingreſſus eſt. Præcedebant duo Nobiles Poloni in Attalicis veſtibus coccinei coloris, quos ſequebantur currus viginti duo panno rubro pretioſiſſimo tecti, & ſtemmatibus varijs Principis Legati comitatûs inſigniti, quos ſex muli ſingulos trahebant. Poſt currus decem Cameli, ex quibus dromedarij quinq; rubris tegumentis Attalicis puriſſimò auro prætextis, amicti, à Perſis & Armenis ducebantur: his veſtis erat oblonga aureis filis intertexta, more Turcico caput tecti, deinde

de Tubicines Polonici quatuor in viridi veste. Attalica ad plantas pedum usq; pendula, cum stemmatibus pretiosissimis Principis Legati equitabant; quos triginta quatuor Cosaci, in vestibus Attalicis coccinei coloris, & pennati more Polonico sequebantur: quorum terga equitatus Summi Pontificis & Cardinalium muli claudebant.

Modico ab hisce divortio viginti Ephebi, pulcherrimis Attalicis vestibus coloris cærulei, pharetris insuper Orientalium more, alijsq; sumptuosissimis militaribus armis decori equitabant. His præcessit Chociszewski ætatis provectæ homo, clypeum & sagittam Persarum more manu tenens, alis etiam ad Ephippium alligatis in splendidissimo habitu, adeo auri gemmarum ac lapidum pretiosissimorum numero ac varietate lucens, ut spectantium mirabili fulgore verberans oculos, in stuporem pariter animos unà raperet. Ducti post Ephebos hosce quinq; Equi Turcici generosissimi, quorum ephippia & ornamenta omnia, auro purissimo pretiosisq; lapidibus, ad invidiam usq; resplenduêre. Primum Ephippium solis adamantibus erat distinctum; secundum eranis, pyropis tertium, quartum varijs pretiosis lapidibus, quintum fere inæstimabile solis adamantibus erat refertum; præcipuè verò peristroma, quod ob multitudinem adamantum dignosci non poterat. In fronte insuper equi, quoddam quasi monile fuit, quod viginti millibus scutatorum, Polonicalium verò florenorum octoginta millibus fuit æstimatum. Hi omnes equi, quod inauditum ab ullo sæculo, soleis aureis calceati fuêre, ad fragilitatem omnes dispositæ; quarum duæ etiam per partes in vulgi manus venêre. Equos autem hosce Persæ pariter & Armeni ducebant, eodem cum Camelorum ductoribus habitu superbi. Post hos, Principis Legati stabuli Præfectus, clavam argenteam manu premens, viginti ejusdem

Prin-

Principis Legati Cubicularios, frameis aureis, & alijs pretiosissimis armis spectabiles, duxit. Inter quos Gembicki, & Lipski Nobilissimi Adolescentes eminuêre; quos sedecim aulici Hispaniarum Regis Legati, nec non & Cardinalium officiales, & variorum Christianorum Principum Legatorum familiares sequebantur.

Modico iterum post hos intervallo viginti principaliores Aulici Principis Legati inæstimabilis pretij vestibus decori, equitabant, quos Jacobus Zelinski ejusdem Principis Aulæ Præfectus clavam argenteam manu gestans præcessit, cujus latera Nobiles duo claudebant. Inde Princeps D. Enrichemont, Criquij, Galliarum Regis, Legati, cognatus, magno Gallicorum Nobilium numero comitatus, sequebatur; cujus vestigia Cubicularij Summi Pontificis pariter Equites premebant.

Et jam ad præcipuos Principis Legati Comites ordo devenerat, quos Romani Equites bini & bini medios introducebant; ex hisce primus post Cubicularios Summi Pontificis Komorowski Cracoviensis Canonicus erat, quem tres germani Fratres Naruszewicz, Magni Thesaurarij Lithvaniæ Filij sequebantur. Post hos autem Wezick, Joannis Wezick Gnesnensis Archiepiscopi, Primatis & Primi Principis Poloniæ Regni ex fratre Nepos, cum Christophoro Lanckoroński, & Stanislao Minozki S. R. M. Cubicularijs equitabat, quorum vestigia Carolus Corniat Principis Legati Nepos, veste lapidibus, & pellibus pretiosissimis superba, premebat. Inde Lipski Plocensis Canonicus, cum Roncallio Secretario Regio summæ doctrinæ & authoritatis viro sequebatur. Post quos Dobieslaus Cieklinski Secretarius itidem Regis introducebatur, qui equo generosissimo Arabico vectus, stupenda quadam agilitate catenam auream in frustula minuta discerpsit quæ ad

equi periſtroma pendens, anhelanti tandem & curioſæ plebi in ſpolium ceſſit. Hic veſte inſuper ad talos uſq; demiſſa, & lapidibus multis pretioſis ſuperba, intuentium oculos mira voluptate perfudit. Poſt hunc Zebrzydowſki natu minor in ſplendidiſſimo habitu Gallico, Potocki Palatinides Braſſavienſis, Goſiewſki Palatinides itidem Smolenſcenſis, & duo Firlei Palatinidæ Sendomirienſes ſequebantur: quorum veſtigijs Comes Theodorus Tarnowſki & Alexander Lubomirſki Palatinides Ruſſiæ compoſitis in admirabilem magnificentiam veſtibus ornati inſiſtebant. Noviſſimè Nicolaus Oſſolinſki, Oſſolinij Principis Patruelis in longa & viridi holoſerica veſte, Zebellinis pellibus pretiosè ſub ducta, & exteriùs lapidibus pretioſis ornata equitabat, cujus verticem Palatinides Caliſſienſis Grudźinſki, & Petrus Daniłowicz Præfectus Practeinenſis, ornamentis omnibus fere inæſtimabilibus ſplendidi & generoſiſſimis equis Turcicis vecti, claudebant.

Immediatè Legatum ipſum, Gembicki Gneſnenſis Suffraganeus, hujus Legationis Secretarius præcedebat: qui latus ejus ſiniſtrum priùs ſtipaverat, ſed, ad portam del populo, Reverendiſſimo Domino Fauſtopoli Amaſienſi Archiepiſcopo loco ceſſerat. Ita Princeps Oſſolinſki Vladiſlai IV Poloniæ & Sveciæ Regis Legatus inter hunc, & Cajetanum Patriarcham Alexandrinum, (qui dexteram ejus occupavit) medius, claudentibus latus ejus utrumq; triginta ſtipatoribus, unius coloris veſtibus, & globis penniſq; argenteis Polonorum more ornatis Romanam urbem ingrediebatur. Veſtis illi inferior pretioſiſſima Phrygia erat, denſiſſimo plumata auro, quam viginti (ut ita dicam) fimbriæ, Polonicè vulgò Petlice adamantinæ, & globi viginti ex meris adamantibus decorabant. Framea ex auro puriſſimo erat, eranis & margaritis plurimis variegata, quæ ſola quinq; millibus ſcutatorum, hoc

eſt

eſt Polonicalium florenorum viginti millibus æſtimabatur. Veſtis ſuperior longiſſima pariter Phrygia, in qua viginti adamantinæ fimbriæ, ſeu Polonicè Petlice & globi ex ſingulis adamantibus totidem. Equo Turcico generoſiſſimo ſoleis aureis calceato vehebatur, cui ad caput pluma nigra ſolis adamantibus lucens. Criſtæ auriculares verò ut & ephippium, ſtapedes & periſtroma totum, gemmis varijs plurimis & pretioſiſſimis diſtingvebantur. Hunc ornatum Princeps Legatus propria corporis authoritate in immenſum auxit. Et cum Romani equum, paramenta, & ornatum corporis Oſſolinij Principis mirarentur, majorem tamen identidem ex vultu ejus voluptatem capiebant. Ibi frons læta, ridentes oculi, & facies integra ad temperatam hilaritatem compoſita. Deniq; cui deeſſe nihil eorum videbant, quæ à ſcrupuloſis Politicis, ad Legatum optimum & abſolutiſſimum requirebantur. Poſt Legatum Principem, Prælati, Equites, & Nobiles plurimi, aut honoris gratia, aut benevolentiam aliquam Polonorum experti ſequebantur: Noviſſimè elegantiſſima Principis Legati rheda, Attalica viridi inducta, plurimo variegata auro viſebatur. Hanc ſex equi generoſiſſimi Turcici trahebant, quibus aurigæ attalicis togis viridibus, infra plantas pedum pendulis inſidebant.

Hac inaudita ab ullo ſæculo pompa & magnificentia Princeps Legatus Portâ Flaminiâ ingreſſus Romam, ad Palatium ſuæ commorationi deſignatum deducebatur, factis aliquot etiam à deducentibus Romanis per nobiliores urbis regiones de induſtria gyris, quò curioſæ plebis oculi, inſolita novitate & ſplendore diutiùs paſcerentur. Tantus autem erat ubiq; concurſus, ut aliquando etiam præ multitudine luminum, vix progredi Legatus potuerit. Ipſum Palatium (quod erat ſub monte della Trinita) virgultis viridibus,

bus, & picturis artificiosissimis Poloniæ Regis Vladislai IV victorias, resq; gestas repræsentantibus erat decoratum. Quod cum Princeps Legatus ingrederetur, omnia in circuitu castri S. Angeli tormenta in congratulationis & lætitiæ signum detonuêre. Triumphum non legationem diceres. Quamvis nec malè dictum judicem, si utrumq; diceremus. Quippe cum eodem tempore Poloniæ Rex Vladislaus, Schismaticos Moschos à Smolenscij mænijs in unam stationem abactos, & obsessores obsidens, ad supplicem deditionem paulatim fortitudine sua sollicitaret, quid aliud videri poterat, quam per splendidissimam hanc legationem, in Septemtrione cum vinceret, Romæ triumphare, sic est profectò. Nec aliter omnes postea comperta victoria acceperunt, quam uni Vladislao IV superos indulsisse, in tanto terrarum divortio & vincere simul, & triumphare.

Cæterùm ut ad Principem Legatum revertamur; hic apud Summum Pontificem, eminentissimo Cardinalium Collegio septum, magna præsentia sui, nec magnificè minùs, quam Romam ingressus fuerat, hac oratione commissum sibi, à Serenissimo Rege suo munus legationis absolvit.

Venit iterum Romam Vladislaus Pater Beatissime, & qui nuper Barbaricis ornatus laureis, ad Tuos pedes venerabundus jacuit is, hodierna die triplici cinctus diademate, ante hanc Apostolicam Sedem Tuam, per me Oratorem suum supplex procumbit. Vladislaus inquam Poloniæ & Sveciæ Rex, ac Magnus Moschorum Dux, qui antequam regnaret, Regum ac Regnorum Tyrannos debellavit, qui Romam triumphator sine triumpho ingressus, pia vota & Pontificiorum pedum oscula, triumphalibus prætulit, qui cum videri nosciq; maximè nollet, urbis & orbis oculos in se convertit: qui nova Tyberim felicitate beavit, cùm citra

Rhe-

Rhenum fluere solitum invicta dextera, ultra Tyram ac Boristhenem traxit, qui deniq; desertori populo, Græcum Constantinianæ donationis diploma, è superba Gaza eripuit, tanquam pro Romano Pontifice pugnasset, cui Romam, hostium etiam spolijs asseruit. De hoc tali, ac tanto Principe, tibi Pater Beatissime non in cunis, sed in ipso gloriæ ac rerum gestarum fastigio, non fama, sed aspectu ac familiaritate noto, quid in hoc amplissimo orbis theatro afferam, haud reperio. Jam enim olim sapientissimo Tuo judicio omnes ejus penetrâsti ac percensuisti virtutes, easq; uti probè cognitas, quæ liberæ Gentis sceptra moderentur dignas judicasti, cum non ita pridem Vladislaum unum esse, qui Polonis imperare queat, solenni commendatione asseruisti. Huc ergo potius mea deflectat oratio, ut quos, qualesq; populos tibi, Sanctæq; Sedi tuæ supplices Rex noster secum offerat, declarem: quod dum exequor Pater Beatissime, Paterno affectu favebis Filij Pontificatus tui, natu minimi, gloriosis conatibus. Solenne enim Patrum est, eorum gestis potissimùm recreari, quos recentiori sivè lucis, sivè gloriæ partu, orbi ediderint. Quidcunq; ergo Gentium Septentrio tegit, quàm latè à Carpathijs montibus ad Caspium mare, à glaciali oceano ad Pontum Euxinum patet Europa, totum id genuflectente Vladislao, ante thronum tuum prosternitur Pater Beatissime. Omnes enim illæ Gentes, aut liberis suffragijs eum sibi Regem dixerunt, aut hereditario jure, licet refragæ ad ejus spectant Majestatem, aut deniq; armis subactæ Dominum recognoscunt. Sed primum meritò locum obtinet Polonia, quæ uti Principibus suis liberè paret, ita Religionem & Sacra nulla vi, nullo metu adacta colit. Illa, illa Sarmatia Romanorum armis impervia, Romanæ Religioni mancipata; illa tot olim superstitionum Altrix, nunc unius Dei serva, illa libertatis custos acerrima, nullius ju-

gum experta, Romanis Pontificibus eorumq; Sedi Apostolicæ obsequentissima. Polonia inquam, quæ sola monstra non parit. Nulla inde Hæresis, nullum Schisma, & si qui vicinarũ gentium peste afflati; acerrimo legum supplicio, & perpetuæ infamiæ notâ, à reliquæ Nobilitatis corpore rescinduntur. Si quis legem Vladislao Iagellone Rege, latam, totius Nobilitatis patrio more consensu firmatam, legerit, fatebitur nullius Concilij anathema acrius Hæresim perstrinxisse. Et quamvis iniquitati temporum, amoriq; consangvineo aliquid indulsisse videamur; non tamen legem abrogari unquam passi sumus, nec patiemur, testaturi posteritati, nos legum Patriæq; salutem unius Religionis integritate firmare. Hoc ipso lugubri nuper Reipublicæ statu, cùm Sigismundum Regem, vivam pietatis Religionisq; imaginem cælo receptam, terris ereptam planximus, vidisses Pater Beatissime, illis ipsis centuriatis Comitijs, Senatum, Populumq; Polonum, magis pro Religione adversus concives suos dira hæresi corruptos certantem, quam de communi Patriæ salute, aut de futuri Principis electione sollicitum. Æquavit fervor Procerum, curam Antistitum, eorumq; & tui Apostolici Nuntij solennes excivit gratiarum actiones. Innatum scilicet Genti Polonæ, avitæ Religionis studium. Hinc illa erga Sacrorum Præsides observantia, quæ eis prima in Senatu subsellia detulit, & præcipuas Reipublicæ partes curare jussit. Tacebo prodigam ut ita dicam in Templorum ædificia ac ornamenta liberalitatem. Omittam cultum Numinis & sacrorum ferventissimum, hæc enim omnia ita se habere orbis consensus asserit. Animorum certè gentis ejus magnitudinem, vel inde colligere licet, quod à tot sæculis adversus feros & immanes Nominis Christiani hostes excubent: nec stationem deserant. Ottomanorum signa, quæ tot acies, tot urbes vali-

validas, expugnârunt, tot montium clauſtra penetrârunt, fluminumq; impetus ſuperârunt, tot Chriſtianorum copias fuderunt, nuda Polonorum pectora ſtiterunt, & ne patentes ac pervios ingrediantur campos hucuſq; prohibuerunt. Scythicam pernicitatem, ne univerſam quaqua verſus pervagetur Europam, unicæ Reipublicæ noſtræ moratur Provincia. Moſcos ſolo nomine Chriſtianos, re & moribus quibuſve Barbaris execrabiliores, toties vicimus, fudimus, & demum nobiliſſimam ejus Regionis partem in Provinciam redegimus. Hæc omnia ſumma animi magnitudine ac prorſus Romana ſteterunt. Parentavimus ſiquidem antiquæ urbi, Majorum noſtrorum ferociâ læſæ, cum in ejus mores & inſtituta tranſivimus. Hinc libertatis ſtudium, hinc æqui, juris, ac legum amor, hinc maſculæ frugalitatis exempla, nil in moribus, nil in habitu corporis molle, vel effæminatum, nil acu pictum. Juventus pretextam, non in Cytharædorum gymnaſijs, ſed inter caſtra deponit. Equitibus rura paterna colere haud pudendum, ne urbanis enervati delicijs bello fiant ineptiores. Humiles domos plerumq; habitant, ſed excelſos animos fovent, non propugnaculorum, non pontis ſublicij ſed legum & innocentiæ præſidio tuti. Neq; verò hanc magnanimitatem, ferociam quiſpiam dixerit. Cicurârunt Sarmaticam, ſi quæ fuit, feritatem Religio, & Muſæ Latinæ. Has ubi è Septemtrione devolutæ Gentes Latio moverunt (credo equidem) caſtra ſecutas eiq; vitæ aſſvetas Heliconi ſuo prope ultimum vale dixiſſe. Gentem profectò noſtram adeo ſibi mancipârunt, ut ſine earum præſidio & ornamento militarem gloriam minus glorioſam æſtiment. Et meritò: earum enim beneficio libera Nobilium capita de ſe ipſis decernunt, magno Nobilitatis ornamento. Neq; à ſcholarum cathedris interpretes petimus, latino freti eloquio, quod una

cum moribus & institutis in partem gloriæ nostræ lubentes assumpsimus. Talis itaq; & tanta Polonia ad tuos pedes prima procumbit Pater Beatissime, illud collũ nullius unquã jugũ ferre solitũ, illas manus liberas, illum animum excelsum & ad imperandum natum Regis sui exemplo, Majorum instituto tibi submittit, Tuis auspicijs se Vladislaum Regem dixisse, ac proinde eum tibi debere profitetur. Tu enim Geniales Divos, Primum ac Felicianum Româ discessuro in Sacris Cineribus tribuisti, non sine Pontificio omine, cum primum Regem nostrum fore sine æmulo, felicissimum, qui conjunctissimis tam populosæ Gentis animis & suffragijs Rex diceretur. Tuis ergo auspicijs Pontificum maxime, habet Vladislaum Polonia, Vladislaus Poloniam, Tu utrumq;. Habebis Deo favente, Vladislai invictâ dexterâ, tandem aliquando Tibi sanctæq; sedi Tuæ mansvefactos Scandicos rebelles leones. Habebis & desertores communis Pastoris ad tuum ovile propediem reduces. Exivit etenim Pater Sancte, Filius hic tuus, non ætate aut meritis, nec majestate, sed capessitæ Regiæ dignitatis tempore, minimus, ad venationem, ut te satiet, famemq; tuam impleat avidam gloriæ summi Dei: inde longævi auspicaturus primordia imperij, unde cæli & Ecclesiæ ruinas sperat reparandas. Erige hanc tuam Dexteram Pontifex Optime, Maxime, qua nescio quo turbine motum ac pene ruentem orbem retines, summo hujus sæculi bono dudum destinatus, & sancta benedictione prosequere tam chari pignoris pios conatus. Excitabuntur hoc præclaro exemplo reliqui Christianorum Principes, & postpositis perniciosis eorum nomini & gloriæ odijs, illuc arma convertent, quo nefarij Imperiorum prædonis libido, jam tandem vindicanda vocat. Vladislaus

certè

certè Rex uti nunc, se, Regnaq; & arma sua sanctitati tuæ tradidit; obedientiam præstat, neq; se ab hujus Sanctæ Sedis Auctoritate & observantia unquam discessurum profitetur: ita Te Duce, Te Auspice, paratus semper erit Christianorum Aquilas, notis sibi itineribus non sequi, sed præire.

Ferunt à plurimis annis, Legatorum neminem, ab Eminentissimo Cardinalium cætu, ob singularem eloquentiam Principis, tanto cum gustu fuisse auditum. Quin imò & ipsum Summum Pontificem dixisse fama est, credere se Ciceronem pro rostris meliùs, & majori Populi Romani cum voluptate non perorâsse. Ut ut sit, hoc certissimum est, & summopere à Romano Pontifice fuisse dilectum, & Filij unici titulo decoratum. Itaq; diebus aliquot maximo in honore habitus, eâdem pompa & mágnificentiâ Româ in Poloniam tandem regressus est. Hoc ei Famæ Genio tribuente, ut Romani ipsi faterentur, nec fuisse unquam, nec fore fortassis, parem gloriâ, ordine & novitate rerum omnium, Legati alicujus ingressum. Adeoq; & sibi persvadebant, non unius capitis, thesauri, & inventionis rem fuisse, sed ad rei summam, Poloniam integram laborasse: cum tamen Princeps Legatus privatis fere sumptibus, hanc admirabilem struxisse pompam dicatur. Quod facilè sibi persvadebit, quisquis splendidissima Polonorum comitia viderit; in quibus quotquot Senatores ferè, tot pompâ & magnificentiâ Reges orbis obstupescit. Desijt ergò Legatio hæc, sicut in æstimationem Polonæ Gentis majorem, ita in laudem Vladislai Regis maximam: ut qui toties, quoties invicem inauditam hanc à sæculo solennitatem Romani

mani referent, toties recrudeſcente memoria, in eorum animis triumphabit.

Ad M. D. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem.

IDEA
TRISMEGISTI POLONI.

TRismegiſtus, Excellentiæ ac honoris agnomen eſt, Latinis ter maximum ſonat, ſic enim appellatus erat Mercurius, vetuſtiſſimus Ægyptiorum Princeps, hanc ob cauſam, quòd ut Philoſophos Sapientiâ, ita Religione Sacerdotes excelluerit, ac mox in Imperio adminiſtrando, omnes ſuperiores Reges ſuperaverit: Hinc à Sapientia, Religione, & Arte regnandi, dictus TRISMEGISTUS, id eſt TER MAXIMUS: nempe Maximus Philoſophus, Maximus Sacerdos, Maximus Rex. Primus hic à Phyſicis, ad Divinorum ſpeculationem ſe erexit, primus de Majeſtate Dei, & animarum mutationibus diſputavit ſapientiſſimè. Scripſit multa volumina, quibus arcana myſteria, & oracula panduntur. *Hæc Diodorus Siculus.*

Triſmegiſtus Rex, Sacerdos, Philoſophus, Maximus.

Triſmegiſti, id eſt ter maximi nomen, ab Ægyptio, ad Poloni Senatûs Dynaſtam ego transfero, utpote in quem menſura nominis tanti, trina, perfectiſſima ſcilicet nominis interpres, tranſiit Magnitudo: Imò illa Magni Nominis umbra, (quid enim clarum, in cæca Gentilitatis nocte videas?) Orthodoxi Senatoris Magnitudinem adumbrabat; Triſmegiſtusq; Pharius Polono, ceu Orienti Soli, Antelucana nebula præcucurrit. Sapientia illa Gentilis, in ſuperſtitioſam Religionem, & Religio nulla, qvia vana, in Regale Solium aſſurrexit, nec plus ultra. At in Triſmegiſto Noſtro, Regalibus Soliis, celſior Orthodoxæ Religionis Sol, cognatarum Togæ Sagoq; virtutum ſplendoribus Illuſtriſſimus, tantum ſupra veterem Triſmegiſtum aſſur-

Virgilius Eclog. 1.

Trismegistus vetus, in Illustrissimo Palatino.

rexit, *quantum lenta ſolent, inter viburna cupreſſi.* Nempe GAŁECCIANÆ Gloriæ, ad ſublimia ſemper asſurgenti, non aliud fundamentum, quàm ſuper PETRAM, Senatoriæ Magnitudinis, Romana planè Erectio, *Virtus belli, & Sapientia Pacis.* Hinc veteri Ter Maximo, Major in Magno Palatino TRISMEGISTUS, nempe Maximus conſilio SENATOR, Maximus prudentiâ & dexteritate agendi LEGATUS, Maximus arte bellandi MILES. Hinc & triplex Magnitudo GAŁECCIANA, nempe: SENATORIS, LEGATI, & MILITIS Maximi exoritur.

MAGNITVDO PRIMA TRISMEGISTI POLONI SENATOR.

Inter Omina, Decora, & Fata Senatoria.

OMINA SENATORIA.

OMEN PHILOSOPHICVM.

PHiloſophus & Propheta, parum diſtant: Utriqve futura ſunt præſentia: hinc & ſolennis Philoſophiæ Rationalis teſſera: *Propoſitiones de futuris contingentibus, ſunt determinatè veræ vel falſæ.*

Hanc præterea futurorum notitiam, derivant non rarò Theo-Philoſophi ex Divinatione Spirituali, ſic dicta, quòd inſtinctu afflatuq; Spiritûs Sancti contingat. Quod etiam Gentilis agnovit Vates, dum cecinit: *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.* Dum SIGISMUNDO III. Poloniarum Regi natus eſſet VLADISLAUS

US IV., PETRUS SKARGA Societatis JESU STEPHANI & SIGISMUNDI Regum Ecclesiastes, integritate vitæ, & doctrinâ celebris; prophetico dictante Spiritu, Sigismundo gratulabundus, hæc de Vladislao puero, optimus Senex, Cygneâ voce cecinit: *Deus Majestatem tuam auxit Vladislao filio, qui nunc diem quinquagesimum quartum agit: Is non tantùm à Regibus, sed à Cæsaribus & Monarchis altum ducens Sanguinem, maximâ Regnum universum spe, solatioq; implebit, si præsertim bona accesserit educatio, in qua totum situm est. Cujus ætatem provectiorem minimè me visurum existimans; cadaver namque meum, jam tumulo inclusum computrescere incipiet, aut penitus computrescet, antequàm mente adolescat: maxima nihilominùs ex ipsius ortu, perfusus lætitiâ, hoc interim ex Zacharia canam, Scriptum à me illi olim legendum relinquens: Tu Filiole Rex Poloniæ vocaberis, populorum tuorum bono incumbens regimini, servies Domino Tuo, qui te creavit: Potens eris gloriâ Vladislae, ut illam cum Natione simulq; populis efferas, & depressam erigas. Pietatem & fortitndinem imitaberis Vladislai Iagellonis, & alterius ejusdem Nominis Filij, qui pro bono Christianitatis, ad Varnam contra Turcas fortiter dimicans occubuit, ut cum Parentibus, populoque, sis benedictus in æternum, eæq; passim insonent voces: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* *Clarissimi Viri augurantis veritatem, subsequentia ostenderunt tempora; Nullus enim Antecedentium Regum, majori cum applausu Regium insedit thronum, ita ut concordi cœli terræq; voce ad tam amplum deposceretur imperium.*

Prophetia Patris Petri Skarga de Vladislao IV.

Kobierzycki Historiæ Vladislai IV. L. I. fol. 10.

Habet etiam hoc Natura Rationalis, ut ventura subinde mala præsentiat. Ita militi ad venturum fulmen sollicito, arma etiam lateris galeæq; tonare videntur. Sic non vano omine, Lacon aliquis suos milites præmonebat; *Prandete, tanquam apud inferos cœnaturi.* Vladislaus Hungariæ Rex ad Varnam pugnaturus, cùm ex ipso quæreretur, quo in loco se reficere vellet, respondit:

spondit: *Deus novit ubi cœnaturi sumus.* & eo ipso prælio occubuit 1444. Ante conflictum armando; cassis excidit, eqvus se arrexit, Sessore Rege excusso.

Secundò de futuris contingentibus ominari possunt Philosophi ex aspectu Astrorum: Unde Trismegistus apud Stobæum Lib. I. Stellas & Astra dixit *esse Deorum oculos*: ut enim oculi affectuum sunt indices, è quibus facilè quid in animo lateat, licet colligere: ita qui scire vult, quo erga terrigenas affectu ferantur Cœlicolæ, Astra inspiciat. *Sol tibi signa dabit, Solem quis dicere falsum, audeat.* Hinc Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex, nihil ferè inconsultâ Astrologiâ, solitus erat auspicari. Et Henricus Bohemus Cracoviensis Philosophus, ex aspectu Astrorum, vaticinatus est de filiis Jagellonis Regis; Casimirum quidem longævum futurum, sed infelicem, Poloniamq; multis ac magnis malis illo regnante afflictum iri; Fratrem verò ejus Vladislaum Clarissimum atq; Victoriosissimum fore, ac ni fata longiorem negarent vitam, multis gentibus imperaturum.

Virgilius lib. I. Georgic.

Cromerus lib. 18.

Ipsos etiam Cometas, (de quibus Græcorum proverbium erat, *Nullum Cometam videri, qui malum non ferat,*) non raro honoribus præfulsisse, testis est Plinius Lib, 2. cap. 25. qui scribit, Octavio Augusto Imperium capessente, apparuisse Cometam, qui ideò, quòd faustus fuerit Augusto, in templo Romæ inter Deos est collocatus. Et Sabellicus Lib. 3. scribit ab alio Cometa, Mithridatis Junioris Majestatem prænuntiatam esse. Plura de his *Miraldus in Cometographia.*

Cometæ dignitatum præsagi.

OMEN POLITICVM.

FOrtunatiùs nemo Senatoriæ Dignitatis ascendit Capitolium, quàm cui dignorum Curulibus meritorum prævolavêre auspicia, & Sangvis purpuram coloravit.

ravit. Petat tumescentibus, non tam ab afflantibus Auris, quàm inflante Ambitione carbasis Delphos eminendi cupiditas, ut à mutis Simulacris, vocem aut sudorem eliciat in Oracula: Consulat belluarum exta, aviumq; volatus; pulset effuso in cursum equo honoris metam; territus hisce monstrosis desideriis Honor, in Virtutis confugiet sinum & tutelam, nisi admittatur, periturus. Nempe, non in unum Neronem, *projecit fortuna honorem, ut frangeret, Regiamq; Fasciam contulit, ut malè sanum caput ligaret.* Non in unius Caligulæ purpura, suam ignominiam erubuit Honor, quòd Nobilis Virtutis proles, ignobile Ambitionis fiat mancipium. Est quædam apud Sinas dignitas, quæ appellatur HEU: Heu dignitas est, quæ indigno confertur; Præmium nos quidem virtutis honorem appellamus, at omninò debitum benè merentibus est: Immutat beneficii nomen qui meruit. Cosmus, Magnus Dux Hetruriæ, coronam rostro Aquilæ è cœlis delatam, hoc Lemmate insignivit: *Iupiter merentibus offert.* Ita honores virtutibus & meritis cœlum defert; quod Theodoricus Rex apud Cassiodorum confirmat Lib. 2. Epist. 28. *Tribuenda est justis laboribus compensatio præmiorum, quia exprobrata virtus creditur, quæ irremunerata transitur, Athletam populis, palma designat esse victorem, sudores bellicos, Civica corona testatur.* Hoc demum Virtutis præmium, infra dignitatem ejus ostendit, Pyrrhus Epirotarum Princeps, cujus annulo hæc verba insculpta fuisse traduntur: *Homini vitioso levis pœna est vitæ privatio; virtute præstanti viro, parvum præmium est totius Orbis Dominium.* In Civitate Peloponesi, templum fuit dicatum Honori, in quo Statua ejusdem posita, sinistrâ Orbem Zephirinum præferebat, diadematibus Regiis, Sceptris, coronis, clavis, & aliis insignibus honoris onustum: dexterâ verò Statuam virtutis crystallinam gerebat, aureo torque colligatam, à quo hæ literæ auro fusæ de-

Thesaurus Comes.

Trigautius lib. 4. c. 6. f. 45.

Cassiodorus lib. 2.

P. Casimirus Koialovicz Institutionum Rhetoricarum Parte Secundâ.

 pen-

pendebant: *Tibi uni, & soli.* nempe militat honor. Carolus Fridericus Dux Cliviacensis & Juliacensis, pinxit Solem curru quadrijugo vectum, cui adstabat Mercurius, tenens manu Caduceum, in cujus fastigio insidebat columba, & à Genio advolante accipiebat coronam, cum Inscriptione: *Virtute & meritis, dignos ad sidera tollo.* Umbræ naturam in omnibus imitatur honor, ut qui nihil sit aliud, quàm virtutis umbra, dicente Tullio: *Et si nihil in se habet gloria, cur expetatur, tamen Virtutem tanquam umbra sequitur.* Magnarum mentium hoc proprium est, nusquam timidiores videri, ac præsente Honoris umbrâ, id quod in Elephante spectare licet, qui uti belluas omnes corporis mole antecellit, ita umbræ propriæ adeò pavidus fertur, ut ne eam aspicere cogatur, bibiturus aquam priùs pedibus turbat. Philosophi cujusdam, hac super re testimonium subijcio: *Elephantem dicunt, non priùs bibere, quàm aquam proboscide collutulaverit.* Nec fictum est quod dicitur, Exhorret umbram sui in aqua visam Elephas. Quapropter & Indi, illunem & obscuram noctem observant, quando hoc animal transfretare volunt. Ita insignes animæ, vel umbram Honoris formidant, fugiunt, non tamen effugiunt, sequitur illos Honor juxta Poëtam:

Cicero L. 1. Tusc. quæst.

Insequeris? fugio: fugis, insequor.

Adsit suffraganti virtuti, cœli suffragium, & è privatis umbris, è desertis latibulis ad Solem publicum, à Stiva ad Sceptra, ex agricolis Reges vocabuntur, & *in medijs Consul quæretur aratris.* Offeret providum cœlum, Polono Piasto, geminos ad agrestia convivia peregrinos, ceu totidem Ducalis Mitræ auspices. Suggeret Premislo, galeis per vertices arbustorum dispositis stratagema pulchrum, Germanica & Moravica castra, à limitibus Poloniæ abigendi. Diriget Lechi passum, in agone fraudulento, ad evitandos infixos terræ clavos,

Claudianus.

& ecce

& ecce bubulco ſtimulo, profundæ Regiæ Piaſtorum Majeſtati figentur radices; & Aurifabri, Regiæ Fortunæ Fabri, ab incude ad Regale Solium ſublimabuntur; & à cultura Soli, ad incolenda Solia, purpurati procedent Agricolæ.

Feſſos duxit heri boves, **Sarbievius.**
Dat magnis hodie jura Quiritibus,
Et quæ bobus ademerat,
Imponit Gabijs, & Curibus juga.

Ita trabeas ad Stivam induit Serranus, Curius hodie meſſem collegit, alterâ luce, hoſtium ſpolia Capitolio invexit. Fabricius, Quintus, ante boves ſteterunt vomere terram proſciſſuri, cùm eos trepida Roma bello præfecit: aratrum urbibus inferre juſſos.

Sic in agro, flavam reperit quandoq; coronam, **Balde.**
Et non præviſos, paupertas ſedula Faſces,
Cum ſubito Tauris, Pirenæoq; relicto
Vomere, Lictoris properè mandata ſecutus,
Centonem Lacerum, trabea mutavit Arator.

Ita, virtutis auſpicia ſequitur honor, ſic expanſis complectitur obvius ulnis; nec gentilitia ſidera reſpicit, ſi virtutis prodromus Sol illuxerit. Hanc in conferendis Magiſtratibus ſpectent Principes; hanc ſpectabat Theodoſius Magnus, de quo Pöëta,

--- --- --- Lectos ex omnibus oris **Claudianus de laud. Stiliconis lib. 2.**
Evehis, & meritum non quæ cunabula quæris,
Et qualis, non unde ſatus.

Indignus enim honore, *detitulat titulos quos gerit*, hononoratisq; ſe inhonorat inſignibus, & pulchro deformat amictu. Rectè quiſpiam honorem immeritò collatum expreſſurus, Aſinum inter Equos, Leones, Pardos, Elephantos, cæteraq; nobiliſſima animalia, ſolum coronatum propoſuit, cum Lemmate: *Non eſt præſtantior inde.* Nempe indigni & idiotæ, dignitatem adepti, non evadunt præſtantiores. Quid, quòd ambitioſi honorum

compe-

competitores, absq; adminiculo meritorum, *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant?* Nempe, ut ait Seneca, cereis pennis in sublime vehuntur, ubi propè Solem quæsitæ gloriæ steterint, Icarum mundo dabunt. Rectè de talibus alter Pöéta:

Dares lib. 1. belli Troiani.

--- *Venales quisquis mercatur honores,*
Vnde ruat, tabulata struit.

OMEN HISTORICVM.

SOlenne est præcoci sua in beneficia cœlo, prodromis eadem, priusquam conferantur, evulgare præsagiis, nec priùs ea Orbi ostendere, quàm non vulgaribus ostentis præmonstrârit. Cælitum suffragio destinatus, non priùs in terrigenam descendit honor, quàm prævius fortunatorum ominum comitatus præcesserit. Prævolant in Avibus, prælucent in Sideribus, præcurrunt in bestiis, infantilibus illigantur fasciis, imprimuntur teneris membris fortunata omina, ceu gentilitiæ faventium Cœlitum notæ, priusquam notatus his Honor, suum teneat Candidatum. Non dedit cœlum, vel ipsi Romæ, illud Augustum raræ pacis Nomen, quin priùs infantiles Cæsaris cunas, pariturae Matri qvieta sub imagine somni, amœnissimo Solis spectaculo prælustraret. Priùs Leonem Agariste vidit, quàm susciperet Periclem, expansam Asiâ totâ Astyages vitem putavit priùs, quàm Magnum illum Persiæ Cyrum educaret. Neq; hisce ad primas duntaxat cunas, beneficiorum dabatur securitas, datum id futuris etiam honoribus præsagium, eò quidem verius, quò non per somniorum umbram, sed vigili omnium documento, capaces honorum animæ suis Magistratibus aptabantur. Quippe dum Martiano illi, dum Basilio Macedoni, calentior Solis ardor famulantium expansis Aquilarum alis temperabatur, dum Aurelianus in Fasciis adhuc,

adhuc, antequam ipſe honoribus Ara fieret, ludentis veluti Aquilæ blandimento, in ara deponebatur, quid niſi præſago augurio hiſce ſingulis Imperiales tempeſtiva per obſeqvia, ſe ipſas Aquilæ demittebant.

In Caij Marii etiamnum pueri, infantili ſinu, ſeptem repertæ Aquilæ, ſepties illum futurum Conſulem nuntiabant.

Roberto Duci Normandiæ, Uxor Arleta pepererat filium, & præſcio quodam mentis inſtinctu, ſuper nudum ſtramen depoſuerat; mox infans utrâqve manu ſtramen ad ſe contrahere cæpit, tantamq; copiam coacervavit, ut totum ſe contegeret. Aderant tunc præſentes varii Principes, ex quibus unus ejuſmodi Omen protulit: *Fortunatus hic erit Princeps, coacervabit profectò multas Vrbes & Provincias.* Omen hoc implevit factis, poſtquam maturior ævo plurimas Urbes Angliæ abſtractas, ſuo Ducatui adjunxiſſet, inde vocatus *Gvilielmus Conqueſtor.* *Liberius.*

Memorant Annales Henrici III. Imperatoris, de Hildebrando puero, quòd cùm filius eſſet fabri lignarii, ex ſarmentis ordine compoſitis, inſcius ipſe has literas coacervavit, quas homo literatus legere poterat: *Dominabor à mari usq; ad mare.* Unde conjectans Divinum aliquid in puero, ſvaſit Parenti quidam, ut eum literis traderet: traditus profecit, & primò Cancellarius Regis, tum Senator factus eſt. Somnio admonitus Imperator de eodem, quòd cornua videretur habere, quibus filium ſuum contereret, hominem in vincula conjecit, ſed ab Imperatore vinculis tandem liberatus, Cluniacenſe Monaſterium eſt ingreſſus, indeq; ob vitæ probitatem ac famam doctrinæ promotus, primò Subdiaconus, deinde Cardinalis, tandem Summus Pontifex Gregorius VII. factus eſt. *Annales Henrici III. & ex ijs Crantzius lib. 4. c. 19.*

Carolus Borromæus, quâdam die abdiderat ſe primâ pueritiâ, in occulto caſtri paterni cubiculo, ubi à famu- *P. de Berlaimon in Parad. Pueror. c. 15.*

à famulo inventus eſt pomum in diverſa ſecans. Interrogatus quid ageret? reſpondit, quid me à vobis quæri erat neceſſe, totus hic eram in orbe in varias partes regionesq; dividendo; quibus verbis omen colligebatur, eum magna quædam jam cogitare; implevitq; omen, cùm Pii IV. tempore totius Eccleſiæ teneret gubernacula.

Aventinus in eius vita. Senis, Hetruſci Matrona Nobilis, cui Victoriæ nomen fuit, cùm proxima eſſet partui, in ſomnis ſibi viſa eſt ſe puerum parere, mitram capite geſtantem, fuitq; id præſagium non ſomnium, infantem enim enixa eſt, quem Pontificem Maximum PII II. appellatione, vidit Eccleſia.

DECORA SENATORIA,

DECVS PHILOSOPHICVM.

PHiloſophia ex nominis ſui ethymo, amorem Sapientiæ, Philoſophus amatorem ejusdem ſonat. Hinc Rationalis Philoſophus à primis cunabulis adeò viæ ad Sapientiam, ſeu modis ſciendi intentus erat, ut aliquid aliud agere, otioſum reputaret: ideoq; ſcientiam ſuam, poſtquam contemplativam vitam profiteri voluisſet, tum illi tum ſibi, pro inſtituto & fine, contemplationem modorum ſciendi, ab omni rerum temporalium fæce depuratorum, & avulſorum præſcripſit, poſtibusq; Lycæi ſui inaravit: *Logica eſt Scientia modorum ſciendi contemplativa.*

Jam ſi è ſenſu Philoſophi, *felicia regna eſſent, in quibus vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur*; felix certè, imò terq; quaterq; fortunatus Senatus, quem Philoſophi, id eſt Sapientes, ſeu Amatores Sapientiæ implerent. Nam eſto Sapientiam Scholarum contem-

contemplationi concedamus, hoc tamen non obstat, quòd eam Senator, vel à Disciplinis Civilibus, vel ab usu rerum, vel ab aliqua Scientia acceperit. Hinc Cicero *primò* de Legibus ait: *Ei cui respublica commissa est, necessaria est Sapientia, quâ regat populos, quâ stabiliat Leges, quâ castiget improbos, quâ laudet claros viros, quâ hortari ad decus, revocare à flagitio, consolari possit afflictos.* Hinc Senatori, *primò* svadet Pöëta,

Vt legat historias, authores noverit omnes, *Juvenal. Satyr. 7.*
Tanquam ungves, digitosq; suos.

Quia *Historia*, juxta Ciceronem, *est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.* Romano subscribit Gallicus Senator: *Mentiuntur Pöëtæ, imponunt Rhetores, Historiæ partes sunt inter adulationem, & præruptam scribendi licentiam, ire quò jubet veritas.* *Gramondus Hist. Gall. lib. 1. c. 13.* Et alio loco: *Historia theatrum est, ubi quam in tempus gessêre Personam viri Principes, perpetuò sustinent, ibi sua cuiq; virtus rependitur, sua item labes.*

Secundò, qui ad Curiam & Rempublicam pertinent, Juris Patrii peritiâ excellant, est necesse. Quid enim est deformius, quàm de legitimis & Civilibus controversiis cognoscere velle eum, qui Legum & Juris Patrii est ignarus? Hinc & Satyricus Senatorem vult, *qui Iuris nodos, & Legum ænigmata solvat.* *Juvenal. Satyr. 8.* Neq; solùm Leges sciendæ, sed etiam servandæ, non immutandæ: periculosa enim est rerum vel minimarum in Republica mutatio. Hinc Locrensium Statutum erat: Si quis novam Legem excogitâsset, eam priùs populo recitaret collo fune obducto, ut si fortè Civibus perniciosa, & inutilis videretur, statim constrictus laqveus, Authorem novæ Legis strangularet, omnesq; hoc periculo admonerentur, ne temerè tentarent aliquam Legum mutationem: qvia Leges dare promptum est, easdem verò exequi, hoc opus, hic labor est. Hinc Pöëta, quandam Rempublicam inducit de se loquentē:

Condidimus Leges quàm multas, quàm propè nullas,
Nam si servatur nulla, quid ulla valet?

Tertiò, perfectum Senatorem Eloquentiam Sapientiæ adjungere, volunt Magistri Politiæ. Eloquentiam, inquam, quâ possit non tam Caduceo, quàm nomine Oratoris ornatus, incolumis vel inter tela hostium versari. Legimus enim non rarò facundum Senatorem, disertâ Oratione, è manibus iratorum arma extorsisse. Verissimè dixit Tullius: *Extorquet arma è manibus iratorum civium, boni civis auctoritas, & Oratio.* Plures, Regna & Principatus Eloquentiâ, quàm fortitudine bellicâ sunt adepti; plures etiam retinuerunt. Cæsar ipse exemplo est. Ille cùm Miles in Patriam auctoratus, esset ferox, quòd eodem scelere inquinati, etiam Duci se æquatos jactarent, brevi oratione compescuit, atq; ut ipsi supplicium de se caperent effecit.

--- --- Stetit aggere fulti
Cespitis, intrepidus vultu, meruitq; timeri
Non metuens, atq; hæc irâ dictante profatur:
Qui modò in absentem, vultu dextrâq; furebas
Lucanus. *Miles, habes nudum, promptumq; ad vulnera pectus.*
Hinc fuge, si belli finis placet, ense relicto.
Vadite, meq; meis ad bella relinquite fatis,
Invenient hæc arma manus, vobisq; repulsis,
Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
Iam certè mihi bella geram, discedite castris;
Tradite Nostra viris, ignavi Signa Quirites.
At paucos, quibus hæc rabies authoribus arsit,
Non Cæsar, sed pœna tenet, procumbite terrâ,
Infidumq; caput, feriendaq; tendite colla.
Et tu, quo solo stabunt jam robore castra,
Tyro rudis, specta pœnas, & disce ferire,
Disce mori: tremuit sæva sub voce minantis
Vulgus iners, unumq; caput, tam magna Iuventus
Privatum factura timet, velut ensibus ipsis

Impe-

Imperet, invito moriturus milite ferrum.
Ita verbis facundis, ira & consternatio, & arma cesserunt. Nempe ut ait summus ille tractandorum animorum artifex; *Lupum ajunt auribus non teneri, at populum & Civitatem, auribus maximè oportet ducere.* *Plutarchus in Politicis.*

DECVS POLITICVM.

ÆGyptii Proceres, Josepho Patriarchæ, ad perpetuam memoriam, Statuam erexerunt, sub nomine Serapis, cui ejusmodi affinxerunt figuram: Stabat Persona, omni planè habitu cultuq; spoliata, supra caput alterâ manu sustinebat vas ingens frumenti, cum minori in medio majoris vasis vasculo, ac mensura: alterâ manu tenebat clypeum, supra quem expressa spectabantur capita, quatuor animalium, in medio clypei caput Leonis, in parte una clypei caput canis, in altera lupi, totum verò clypeum, in gyrum sinuatus ambiebat angvis. Hoc schemate Ægyptii, munera prudentis expresserunt Senatoris. *Primò* proposuerunt eum vestibus spoliatum, qvia Senatorem voluerunt, privatum esse privato affectu, capiteq; frumentum, id est commodum non suum, sed publicum sustinere. *Secundò* caput Leonis, significabat cor invictum ac impavidum. *Tertiò* caput canis, significabat vigilantiam circa bonum publicum: ita Symbolica Ægyptiorum Sapientia, Senatorem effinxit quibus Senatoris decoribus, adijcio decora alia, ceu Senatorium aurum auro.

PRIMUM DECUS Senatoris, est CLEMENTIA LIBERALIS; expressit hoc decus in se, Lotharius Cæsar, cujus Imperiali Coronæ, hæc impressa fuit inscriptio: *A vobis, præ vobis, pro vobis.* Hinc & suum Principem monet Claudianus:

Sis pius imprimis, nam cùm vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

 Hugo

Hugo Capetus Princeps Galliæ, consulebat Veremundum Leodiciensem Antistitem, quâ ratione suam erga Ecclesiam probare posset pietatem? respondit Sanctus Præsul, *Sis, præsis, & prosis.* Principi ulteriùs sciscitanti, quâ ratione id faceret? reposuit Veremundus, *& Rhetoricè, & Dialecticè*; id est, & apertâ manu per liberalitatem, & contractâ in pugnum, per propugnationem Ecclesiæ. Quod ille monitum integrè implevit, Deumq; mutuò liberalem erga se expertus est; nam per sexcentos annos, non interruptà serie, thronum Galliæ, Nepotes ejus tenuerunt. Hermo Bilio, Duci Corsicæ, solennis erat vox: *Ecclesiæ sum Hermus largiendo, Bilius propugnando.* Hermus enim est fluvius aurifluus, bilis verò est humor cholericus ad bellum accendens. Solem quispiam vapores terreos attrahentem, postquam in tesseram Principibus proposuisset, inscripsit: *Colligit, ut spargat.* Alter Pelicanum, è venis suis sanguinem, in pullorum alimentum elicientem in Symbolum assumpsit, cum Lemmate: *Viscera visceribus.* Nempe concivibus & subditis: ita Clementia ac Liberalitas, Principum planè virtus est, ac insigne purpuræ decus.. Errant ergo Pseudopolitici cum suo Machiavello, quorum hæc sunt axiomata: *Subditos preme, ne rebellent: eos tributis aggrava, ut eorum paupertate te dites & robores, metu eos opprime, oderint, dum metuant, eis vires, opes, & animos adime, ut servos tibi facias & mancipes, arcibus urbes doma, ut semper sint sub fulmine.* Vidit meliora, docuitq; Seneca Neronis Præceptor, qui ad eundem scribens Libro de Clementia: *Non est opus,* inquit, *latera montium abscondere multiplicibus muris, ac turribus sepire, Salvum Principem Clementia in aperto præstabit, crudelitas hostes multiplicat.* Theodosius junior rogatus, cur neminem eorum, à quibus lædebatur, puniret, respondit: *Vtinam liceret mihi & mortuos ad vitam revocare.* Metuatur ergo Jupiter Tonans, Fulminans, Ultor, sed magis

colatur

colatur & ametur Jupiter Custos, Conservator, Opitulator, undè nomen habet scilicet à juvando.

SECUNDUM DECUS SENATORIUM est JUSTITIA, quæ juxta Platonem Principatum inter virtutes tenet, & est primum earum ornamentum. Optimates ergo, & quoscunq; à quacunq; fortuna in altum extulit, quæcunq; manus, *suum cuiq; tribuant, alienum ne vendicent, utilitatem propriam negligant, utilitatem communem custodiant.* Ita Doctor Mediolanensis monet. Meritò ergo Agesilaus, Justitiam cæteris virtutibus præferebat dicens: *Nullius usus fortitudinem futuram, quæ justitiâ careret*, cùmq; Persarum Rex laudaretur, *nullo*; inquit, *ille major me, nisi sit etiam justior.*

TERTIUM SENATORIS DECUS est CONSTANS, suiq; semper similis in consiliis animus, prudens enim vir *commisisse cavet, quod mox mutare laborat.* *Horatius.* Agis cùm in carcere ab Ephoro rogaretur, num eum pœniteat eorum, quæ dixisset? respondit, *se nullâ tangi pœnitentiâ consilij cum prudentia honestoq; conjuncti, quicunq; sequatur eventus.* Aristides ex constantia planè Senatoria, summam meretur laudem, à quo, cùm Dionysius Tyrannus filiam in matrimonium peteret, respondit, *mortuam se videre malle, quàm Tyranni uxorem:* eam occidit Tyrannus; cùmq; iterum quæreretur, an ejusdem sententiæ esset? respondit; *factum dolenter se ferre, at dicto lætari.* Catonis constantiam planè Senatoriam quis non mirabitur? quem nemo unquam, convulso per Cæsarem ac Pompejum Reipublicæ Statu mutatum vidit: idem color vultûs, dum Prætorem ageret, dum repulsam pateretur, dum accusaretur, in Provincia, in exercitu, in morte, in illo deniq; Reipublicæ pavore, cùm Pompejus victus esset, cùm Cæsar armatus Victor Rempublicam invaderet; hunc cùm amici hortarentur, ut ad clementiam Cæsaris confugeret, respondit: *devictorum esse, & eorum qui deliquissent supplicare, Catonem nec victum,*

victum, nec captum esse, Cæsaremq; honestate & Iustitia Superâsse, proinde se pro Cæsare qui volent, rogent, pro Catone neminem orare debere. Hanc invictam animi constantiam, ex mascula Stoicorum doctrina derivatam, deprædicat Seneca lib. 1. de Constantia Sapientis cap. 2. *Qui stetit solus,* inquit, *& cadentem Rempublicam, quantummodo unâ retrahi manu poterat, restituit, donec abreptus vel abstractus comitem se, diu sustentatæ ruinæ dedit, simulq; extincta sunt, quæ nefas erat dividi, neq; enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem.* Tali Senatorum constantiâ in consiliis, stare Respublicas asseruit Salustius: *Ego ita comperi,* inquit, *omnia Regna, Civitates Nationesq;, usq; eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt, ubicunq; gratia, timor, voluptas, ea corrupêre, paulò pòst comminutæ opes, deniq; ademptum imperium, postremò servitus imposita est.*

QUARTUM SENATORIS DECUS est *concors cum rectè sentientibus Voluntas*; ideò Senatus Romæ, potissimùm in æde Concordiæ habebatur: Felix Senatus, cui inscribi posset illud Ovidii:

Nec refert, Dominos illic famulosq; requiras,
Tota Domus duo sunt; ijdemq; parentq; jubentq;.

Igniti carbones tamdiu fervent, quamdiu sibi intimè juncti, à se mutuò incalescunt; mox ubi separantur, extingvuntur. Hinc illis quidam inscripsit, *Si distinguimur, extinguimur.* Apud Romanos, in amplissimi Sacerdotii Augurum Collegio, non modò amicitiam violari fas non erat, sed ne Sacerdotem cooptari licebat, qui cuiquam ex Collegio esset inimicus. Profectò nulla gratior, nulla carior, quàm ea quæ cum Republica est, Procerum necessitudo, nulla conjunctio optabilior, quàm publica muneris Societas, Unio hic quàm pretiosus, tam rarus est. Servandum ergo Scriptoris Ro-

Salustius. mani monitum; *jurgia, dissidia, iras, simultates cum hostib9*

exer-

exerceant, Cives cum Civibus de virtute certent. Et alterius: *Privata odia, publicis utilitatibus remittant.* *Tacitus.*

QUINTUM SENATORIS DECUS est AMOR BONI PUBLICI. Fortunata Senatoris Domus, cui inscribi valeat, illud Hadriani Cæsaris: *Non mihi, sed populo.* Lacedæmonii nec sciverunt, nec voluerunt privatim vivere. Hinc & Agesilaus, Persarum Regi, amicitiam suam ambienti, respondit: *fieri non posse, ut suâ privatim amicitiâ uteretur, sin inter omnes, etiam ipse locum haberet.* Damna summa, in suo Imperio tunc sunt experti Romani, quamprimùm à suo desciverunt instituto, quando pauperes erant privati, tunc opulenta fuít communitas; quæ res ab Horatio querelam illam expressit:

--- --- *Non ita Romuli* *Horatius L. 2. Carm. Ode 15.*
Præscriptum, & intensi Catonis,
Auspicijs veterumq; norma,
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum.

DECVS HISTORICVM.

CHARITAS IN PATRIAM PURPURATA. *Vnicuiq; Patria Sua carior est, dum supra omnia salvum fere quæritur, ubi ab ipsis cunabilis commoratur.* Ait Theodahadus, Gothorum Rex, *apud Caßiodorum lib.* 1. *Epist.* 2. *ad Senatum Romanum.*

Genutius Prætor Paludatus, cùm portam Civitatis Romanæ egrederetur, novum & inauditum prodigium accidit; Nam ei subitò cornua ex capite crescere visa sunt, responsumq; est illi à Vatibus, eum Regem fore Romanum, si in civitatem regrederetur, quod ne accideret, neve Libertas populi Romani læderetur, perpetuum sibi indixit exilium: Ob cujus rei memoriam, Romani portæ illi, per quam egressus est, caput æreum cornutum affixerunt. *Valerius Maximus cap. 5.*

Codrus Athenienſium Rex, cùm ingenti hoſtium exercitu, Attica Regio debilitata, ferro igniq; miſerandum in modum vaſtaretur, diffidentiâ humani auxilii, ad Apollinis Delphicum oraculum confugit, perq; Legatos ſciſcitatus eſt, quonam pacto tam grave bellum diſcuti poſſet? cùmq; idolum reſpondiſſet, tum demùm illi finem fore, ſi ipſe Rex hoſtili manu occubuiſſet, amore Patriæ, depoſitis imperii inſignibus, aſſumptoq; Gregarii militis habitu, in furentium hoſtium globum ſeſe injecit, unumq; ex iis gladio percuſſum, in ſui cædem proritavit, fortiterq; victima Patriæ occubuit.

Inſigne ac prodigioſum amoris in Patriam exemplum, tradit Valerius Maximus in duobus Philenis fratribus. Poſt diuturnam de finibus inter Carthaginenſes, & Cyrenenſes contentionem, communi Gentis utriusq; decreto, ſtatutum eſt, ut ex utraq; civitate, duo Juvenes, ſtatuto eodem planè tempore egrederentur, & ubi primùm ſibi obvii convenirent, ibi limites perennes figerentur: qvia verò Phileni fratres, celeriùs conſtituto tempore ſuâ civitate egreſſi, latiſſimè limites ſuos prorogârunt, dum ideò Carthaginenſes, eos de fœderum violatione arguerent, poſt longas controverſias, tandem Carthaginenſes Cyrenenſib9 hanc conditionem quaſi impoſſibilem propoſuerunt: ut ſi Phileni eo loco limites ſuos habere deſiderarent, ambo ſimul in terminales quaſi lapides, vivi defoderentur. Acceptata extemplò à Philenis conditio; viviq; ſtatim defoſſi, ſe ipſis, ceu terminalibus Coloſſis terminos Patriæ extenderunt: quibus Epitaphii vice inſcripſit Valerius Maximus lib. 5. *Qui quoniam Patriæ, quàm vitæ ſuæ terminos longiores eſſe voluerunt, benè jacent manibus & oſſibus ſuis Punico dilatato imperio.*

CONCORDIA PURPURATA. Theodahadus Rex Gothorum, Senatum Romanum ad concordiam exhortans, ita loquitur apud Caſſiodorum lib. 10. Ep. 4.

Tan-

Tanquam in duobus luminibus unus est aspectus, & concordem sensum nemo credit segregatum, sic sunt similes, quos & gratia jungit, & parentela consociat.

Agesilaus Rex, rogatus à quodam, cur Sparta muris non cingeretur, ostendit ei Cives unanimes & armatos, hi, inquit, sunt Spartanæ civitatis mœnia, significans, urbes nullo munimento tutiores esse, quàm virtute Civium consentientium. Rursùs Lacedæmonii, cùm de civitate mœnibus cingenda consultarent, Isæus Sophista recitavit illud Homeri: *Scutum hæsit Scuto, galeæ galea, atq; viro vir; Sic state mihi Lacedæmonij, & muris cincti sumus.* Huc facit Symbolum Ottoberti Comitis Habspurgici, in quo cythara sustinetur, ab armato brachio, cum Lemmate: *Hæc mihi tuba*; quasi diceret, ad concordiam potiùs, quæ animorum est harmonia, quàm ad arma vocabo.

Ex Tuberonum familia, sedecim viri omnes simul in una æde, & quidem nimis exili, cum uxoribus & liberis habitârunt, nec ulla unquam audita est contentio. *Plutarchus in Æmilio.*

Themistocles, imminentibus Græciæ Persis, persvasit omnibus Græcis, ut domesticis simultatibus in aliud tempus sepositis, contra Persas conspirarent, ratus interno & civili bello, nihil fœdius; nam fatalem quandam Reipublicæ semper minatur periodum. *Plutarchus in Themistocle.*

--- --- *Scissura domestica turbat* *Prudentius.*
Rem populi, titubatq; foris, quod dissidet intus.
Ergo cavete Viri, ne sit sententia discors,
Sensibus in vestris.

JUSTITIA PURPURATA. Hanc Senatui Romano Theodahadus Rex ita commendat apud Cassiodorum lib. 10. Epist. 29. *Decet Regiam justitiam custodire, quod à judicibus benè agentibus fuerit ordinatum, ut nihil incautè, nihil venalitatis studio, fecisse videantur.*

Persæ Gentiles licet, summo studio colebant justitiam, hinc etiam duo tantùm in orbe peccata esse ju-

dicabant, quorum prius sit esse debitorem, alterum mentiri, quòd obærati plerumq; mentiantur, dum pollicentur in diem, nec prœstant quod pollicentur *Erasmus Rot. Apophteg: lib. 3.* Id circò mutuam dans pecuniam, tres sibi conciliet Patronos. 1*m.* Iurisconsultum, qui contra recusantem restituere debitum, lege agat. 2*dum.* Theologum, qui conscientiam Debitoris exstimulet. 3*tium* Militem, qui nolentem vi compellat. Aristides per varias civitates Græcas causas dijudicans, omnia munera repudiabat, cùmq; illi necessaria etiam ad victum non superessent, purpuram suam venum misit, circumlata est per omnium Civium domos; in qua tandem summo pretio æstimata, faciem Jovis acu artificiosissimè exprimi curârunt, adjectâ inscriptione; *Aristides Vir Divinus, purpuram exuit, ut Iustitiam indueret.*

Veberus in discur. curio: & fructuo:

Athenæus.

Antigonus cùm Athenas ad Tribunal venisset, cognovissetq; à populo thesauros abscondi ob metum rapinæ, proclamari mandavit, *cum gladio se venisse, non cum falce, non ad metendas fortunas, sed ad plectenda flagitia;* cui populus reposuit: *ô verè magnum Antigonum!*

Fulgosus lib. 4. c. 3.

Tamerlani Tartarorum Regi, agenti iter, Arator vas ingens aureæ monetæ, in quod fortè arando inciderat, obtulit: hîc quærit Tamerlanes, an patris sui effigiem ea moneta præ se ferret? ac respondenti Romanorum habere effigiem, subjungit: *Si hæc pecunia Majorum meorum non fuit, Aratori eam relinquamus, ad quem eam Deus detulit.*

LIBERALITAS PURPURATA. Theodahadus Rex, Liberalitatem veluti propriam, & characteristicam Senatoris notam agnoscit, apud Cassiodorum lib. 8. Epist. 49. *Consul debet ex liberalitate laudari, ne videatur aliud dignitas promittere, & aliud Senatorem velle complere. Quocirca sub opinione munifici, parcum non decet inveniri, quia inumbrat famam publicam in Consule, tenacitatis obscuritas.*

Dyony-

Dyonysius cùm palatium Filii sui ingressus, poculorum argenteorum & aureorum magnam multitudinem vidisset, exclamavit: *Non es Principatui aptus, qui tot poculis à me acceptis, neminem tibi amicum effecisti.* *Plutarchus.*

Boleslaus Chrobri, tenuiores, litis finem expectantes, sumptu mensâq; suâ sublevabat: fertur verò 40. mensas longas, exceptis minoribus aliis, quotidiè apud eum solitas fuisse instrui, ad quas accumbere, volentibus licuerat. *Cromerus lib. 3.*

Jagello Rex tantâ fuit liberalitate, ut non modò fiscum exhauriret, sed magnam partem possessionum regiarum, etiam immerentibus largiretur, ita ut Martinus V. Pontifex, mandârit Archiepiscopo, ut donationes ejus rescinderet.

TEMPERANTIA PURPURATA. Apud veteres duo maximè insignia amicitiæ habebantur Symbola, Panis & Sal. Macedones cùm amicitiæ fœdus inibant, panem gladio divisum, utrinq; gustabant. Sic Alexander, cùm Rhoxanem in Conjugem ducere vellet, panem sibi afferri jussit, quem ferro dissectum, cum Sponsa simul libavit. Sic Cyrus junior, honoris causâ, è mensa sua mittere solebat amicis, demorsos panes, ut iisdem vescerentur.

Jagello Rex adeò erat abstemius, ut totâ vitâ suâ non nisi aquæ potu uteretur. Hinc & Sigismundus I. Patris Aviq; instituto, aquam tantùm bibebat, ad ultimam senectutem. Ingravescente verò ætate, ex Medicorum consilio, vino subindè utebatur, sed ita, ut nunquam eum quisquam ebrium viderit. Vitoldus etiam Princeps Lithvaniæ, nil præter aquam bibebat. Ex quo vivendi genere, perseverabat in illis *mens sana in corpore sano*; Nesciebant vino fulcire vires cadentes, nesciebant saniem emittere, & diutinam ægrotationem, thermis sudoribusq; laxare, podagræ illis malum, imò & nomen ignotum, erat. Hinc abstinentiæ beneficio, *Cromerus lib. 20. Cromer. in Oratione Funebri Sigismundi. Cromerus lib. 19.*

vixit Marcus Antonius plus quàm 100. annis, corpore & animi judicio robuſtus; Galenus 120. annis. Socrates, ob ſummam ſobrietatem ac temperantiam, totam vitam ſine ulla infirmitate exegit. Exemplar ergo Principum Otto Imperator, ſapienter æquè ac rectè dicebat, *aut frugi oportet eſſe hominem, aut Cæſarem.*

FATA SENATORIA.

FATVM PHILOSOPHICVM.

FAtum juxta orthodoxos Philoſophos, eſt complexio quædam cauſarum ſecundarum, quæ licèt ex ſe incertæ ſint, ac variabiles, prout tamen ſubſunt Divinæ Providentiæ, infallibilem inferunt effectum. Fati hoc modo ſumpti, deſcriptionem tradit Boëtius lib. 4. Conſol. Proſâ 6. *Fatum eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam Divina Providentia, ſuis quæq; nectit ordinibus.* Atq; ex hac Divina diſpoſitione, rebus mobilibus inhærente, oritur.

FATVM POLITICVM.

FAtum Mathematicorum, inſuperabili Siderum vi incluſum; Fatum Priſcillianiſtarum, Deo ipſo Omnipotente potentius, deteſtamur: Svavem Providentiam Dei, per medias cauſas, pro earum captu eventa ordinantem, & ſinentem liberis voluntatibus, liberum arbitrium non excutientem agnoſcimus. Itaq; omnia, quæ ab impiis profano ſenſu dicuntur, repudiamus. Per Fatum ergo Politicum, intelligenda eſt Divina Providentia, ſuas improbis pœnas, præmia probis diſponens. *Iudicat illa orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate ſua.* Quod enim neceſſitatem Fati eſſe, quod

se, quod fortuitum eventum, quidam interpretantur, Dei judicium est; hinc admirabiles & inopinatæ rerum conversiones, nullus annus non insignis est, Potentum ruinâ, vel morte, imò nulla dies, quæ non aliquos, vesperi jacentes videat, quos manè viderat superbos. Deus hæc agit, cujus vindicta lento quidem, sed gravi passu procedit.

--- --- --- *Premit ultio noxas,*
Tunc gravior, cùm tarda venit, tunc plena timoris,
Cùm terrore caret.

Dares Phrygius lib. 6. de bello Trojano.

Et si bonis subinde adversa immittat Deus, castigat ut coronet, malos venturis malis reservat; veniet ad illos felices sua portio, quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Placent hæc ludenti in orbe terrarum Deo spectacula, ut aliis pro merito ruentibus, alii surgant; *lætis hunc Numina rebus, crescendi posuêre modum, summis negatum stare diu.* Ita Superis commune est, inter ornamenta & dedecora homines, alternâ vice versare, tristibus læta, & lætis tristia permiscendo. *Optima* nimirum juxta Boëtium, *vindex insolentiæ, varietas humanæ conditionis, commodissimus est tortor plectendæ improborum licentiæ, rerum humanarum vicissitudo, pauperies carnifex affluentiæ, servitus, Tyrannus libertatis, dejectio lictor superbiæ; exilium vindex authoritatis vanæ & superciliosæ.* Rotæ in gyrum actæ quispiam inscripsit: *Alternâ vice.* Nempe homines Fortuna versat. Cornelius Scipio ex Consule captivus, ex captivo Consul factus est, quod Valerius admiratur, quis crederet illum, à duodecim Securibus, ad Carthaginensium perventurum catenas? quis rursùs existimaret, à Punicis vinculis, ad summa imperii perventurum fastigia? Hæc omniâ, Divinæ Providentiæ Orbis gubernatrici attribuimus, *nec te facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.*

FATUM

TRansitorium theatrum est Mundus, inquit Bonomius. Providus mundanæ Comitragœdiæ constructor, Prologum fletui commisit, priores actiones querimoniis, lachrymis, vagitibus; amori, fortunæ, honori, Scenas medias; morbo, spei, tremori extremas; tandem ne in fictionem fabula desineret, tragicum suspirium, toti finem imponere constituit. In hoc vasto mundi theatro, fatales quasdam intueamur Scenarum mutationes.

MUTATIO PRIMA. Annibal à Scipione (cum cujus Parente bellum inchoaverat) pacem supplex implorans, quam antè Parenti Scipionis negaverat. Juvat supplicem audire: Sic igitur Annibal ad Scipionem: *Si hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Romano, quiq; toties propè in manibus victoriam habui, is ultrò ad pacem petendam venirem, lætor te mihi potissimum datum, à quo peterem. Hoc quoq; ludibrium Fortunæ casus ediderit, ut cum Patre tuo Consule cæperim arma, cum eodem primùm Romano Imperatore signa contulerim, ad filium ejus inermis, ad pacem petendam venio &c. &c. Quod ad me attinet, jam ætas, senem in Patriam revertentem, undè puer profectus sum, jam secundæ, jam adversæ res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quàm fortunam malim. Tuam & Adolescentiam, & perpetuam felicitatem, ferociora utraquè, quàm quietis opus est consilijs, metuo. Non temerè incerta casuum reputat, quem Fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Thrasymennum, ad Cannas, id tu hodie es. &c. &c. Novi vobis spiritus magnos magis, quàm utiles, & mihi talis aliquando Fortuna affulsit. Quòdsi in secundis rebus, binam quoq; mentem darent Dij, non ea solùm, quæ evenissent, sed etiam ea, quæ evenire possent reputaremus. Vt omnium oblivíscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modò castris inter Anienem, atq; urbem vestram positis, ac jam propè*

Livius lib. 30.

prope scandentem mœnia Romana videras, hîc cernis, duobus fortissimis Viris, Fratribus clarissimis Imperatoribus orbatum, ante mœnia propè obsessæ Patriæ, quibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem. Maximæ cuiq; Fortunæ minimè credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubijs, tibi ampla ac speciosa danti est pax, nobis petentibus magis necessaria, quàm honesta.

Marius septies Consul Romanus, à purpura tandem ad servilem lacernam, à Consularibus ædibus ad carceres detrusus, & tot Laurearum victor in paludibus Minturnensium delituit, & moriens Fortunam crudelem inclamabat:

Ille Iugurthino clarus, Cymbroq; triumpho, Ovidius l. 4. de Ponto Eleg. 3.
Quo victrix toties Consule, Roma fuit;
In cœno Marius jacuit, Cannâq; palustri.

MUTATIO SECUNDA. Ut taceam Reges & Cæsares, in quibus Valerianus Imperator à Sapore Rege Persarum captus, eqvum conscensuro pro scabello fuit. Eodem modo Bajazetes Turcarum Rex, dorsum præbere debuit Tamerlani Scythæ, à quo ferreæ inclusus caveæ, circumductus est omnibus ostentui, & irrisui. Gilimer Vandalorum Rex, à Belisario in extremas angustias redactus, *panem, spongiam & citharam sibi mitti rogavit. Panem sedandæ fami, spongiam tergendis lachrymis, citharam dolori leniendo.* Ille ipse Belisarius, utriusq; fortunæ tam pugnâ quàm palmâ insignis, post victorias de toto Orbe non semel relatas, in obscurum carcerem detrusus, oculis effossis stipem rogare coactꝰ est. *Baronius ad annum* 561. Secundus à Belisario, prodit in Scenam Ruffinus, qui à Theodosio Imperatore gloriâ & opibus auctus, Arcadio quoq; Tutor datus, cùm Dominum suum Minorennem Imperio privare meditabatur, proditione compertâ in medio conatu à militibus Italicis est occisus. Caput cum dextera præcisum, ante ipsas Constantinopolis portas pependit,

D uxore

uxore ejus in exilium misſâ. Hunc Claudianus duobus Libris inſectatus acerbiſſimè, tandem exclamat:

Claudianus lib. 2: in Ruffinum.

Deſinat elatis quisquam confidere rebus;
Inſtabilesq; Deos, ac lubrica Numina diſcat,
Illa manus, quæ Sceptra ſibi geſtanda parabat,
Cujus ſe toties ſubmiſit ad oſcula, ſupplex
Nobilitas, inhumata diu, miſeroq; revulſa
Corpore, feralem quæſtum poſt fata popoſcit.
Aſpiciat, quisquis nimiùm ſublata ſecundis,
Colla gerit; trivijs calcandus ſpargitur, ecce,
Qui ſibi Pyramides, qui non cedentia templis,
Ornatura ſuos exſtruxit culmina manes,
Et qui Sidonio velari creditur oſtro,
Nudus paſcit aves: jacet en qui poſſidet orbem,
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur, nunquam totiesq; ſepultus.

Chronicon Tragicum Parte 2. Anni Chriſti 268.

MUTATIO TERTIA. Marius magnis viribus præditus, ex fabro ferrario Imperator appellatus, triduò tantùm imperavit. Hunc inſigniorem, breviſſimum fecit imperium. Nam hic Conſul, ſex tantùm pomeridianis horis Conſulatum tenuit; hinc à M. Tullio tali perſtringitur joco: *Conſulem habuimus, tam ſeverum, tamq; Cenſorium, ut in ejus Magiſtratu nemo pranderit, nemo cænaverit, nemo dormierit.* De hoc etiam dici poſſe videtur, qui unâ die factus eſt Imperator, aliâ die viſus eſt imperare, tertiâ interemptus eſt. Occiſus à quodam milite, qui cùm ejus quondam operarius in fabrili Officina fuiſſet, contemptus eſt ab eodem, addidiſſe hæc verba dicitur interemptor: *hic eſt gladius, quem ipſe feciſti.* Cæſar Borgia cognomento Valentinus Romanus, à Patre Roderico posteà Pontifice Maximo, in Cardinalium Senatum cooptatus erat, tandem à Toga Sacra, ad Sagum profanum converſus, contemnere Galeri decus, & Joanni Fratri, Gandiæ Duci, invidere cæpit; eò inſanæ æmulationis exitu, ut ipſo Fratre, quo

cum

cum hilariter apud Matrem cænaverat, jugulato, projectoq; in Tyberim, se totum abdicatâ sacrâ purpurâ, & assumpto militari Sago, ad arma transferret, Gallisqvè se conjungeret; tandem magnæ partis Italiæ Dominatum affectare cæpit, adeò dirâ cupiditate, ut in vexillis hunc titulum præferret: *Aut Cæsar, aut nihil.* Post vastatam tandem Italiam, obitumq; Alexandri Pontificis, Julius II. Pontifex, Cæsarem exutum exercitu, in arce sub custodia tenuit, tandem ex illa dimissus, ad Joannem Cantabriæ Regem confugit, illiq; in bello, contra Alarinum Regulum junctus, ignitâ glande læsus, occubuit Anno 1507. Cadaver ejus relatum Pampelonem, ibiq; sepultum, cujus Sarcophago, appensa sunt plura Carmina, ex quibus sunt etiám hæc:

Aut nihil, aut Cæsar, vult dici Borgia, quidni?
Cùm simul & Cæsar, possit & esse nihil.

Seu:

Omnia vincebas, sperabas omnia Cæsar,
Omnia deficiunt, incipis esse nihil.

Claudo hanc Mutationem, Personâ & Spectaculo planè tragico, nempe Friderico II. Romano Imperatore. Hic postquam excusso svavi Ecclesiæ jugo, adversùs Summum Pontificem, Sedisq; Supremæ Authoritatem consurrexisset, non gladio tantùm, verùm etiam calamo illam impetiit, ac inprimis hæc Carmina, malè sanus Vates protruserat: *P. Kwiatkiewicz in Annal. Eccles. Anni 1239.*

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Cui repositum est ab Ecclesia:

Niteris in cassum, Navem subvertere Petri,
Fluctuat, at nunquam mergitur ista Ratis.

Cùmq; iterum Fridericus impio œstro percitus, hæc Carmina sparsisset:

Fata volunt, Stellæq; docent, Aviumq; volatus,
Quòd Fridericus ego, malleus Orbis ero.

 Rescri-

Reſcriptum eſt :

Fata volunt , Scriptura docet, peccata loqvuntur,
Quòd tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Tandem poſt immania flagitia , Eccleſiæq; perſecutiones, à Summo Pontifice, dignitate Imperii privatus, omni in Subditos jurisdictione ablatâ , alterius Imperatoris eligendi jus, ab Eccleſia iis ad quos illa Electio ſpectabat commiſſum, ſuperſtes audivit Fridericus, & inter mille furias, vicinam propè mortem, ultrò accelerabat. Legati Friderici , audito hoc Decreto Pontificio, recedebant à judicio , percutientes pectora ſua, dumq; omnes Patres Concilii, accenſos cereos jam propè extincturi tenebant, Thadæus Sveſsanus , unus ex Legatis Friderici, in illa verba prorup t: *Dies illa , dies iræ, calamitatis & miſeriæ.* Sicq; factum eſt ; ab eo enim tempore, omnia quaſi conjurata mala, ſupra Fridericum cecidêre, ipſumq; cum tota progenie perenniter oppreſsêre. Juvat jam Epilogi vice, hiſce tragicis mutationibus inſcribere :

Tibullus lib.3. Eleg.6 *Vos ego nunc moneo, felix quicunq; dolore*
Alterius diſces poſſe carere tuo.

REPRÆSENTATIO PANEGYRICA. *SENATORIS POLONI,* Inter Omina, Decora,& Fata fortunatiſſima. In Illuſtriſſimo Palatino Inovladiſlavienſi.

COllige vires in unum Eloquentia : grande onus eſt, quod ſubis, in uno Lechæo Senatore , non una Lechias portanda Senatorum. Mille Spartæ, in hac quam ſuſcipis ſparta ſuſtinendæ. Atlanteis hic

 ſimul

ſimul & Herculeis opus lacertis, ubi grandior cæleſti, Senatorius portandus eſt Olympus, quot Nominibus tot numinibus, quot virtutibus, tot ſyderibus Illuſtriſſimus. Iuſtus Lipſius Magnus ille Belgicarum Muſarum Phæbus, ſublimi pennâ, ultra mortalium ingenia provectus, animi ſui cultum erga Deiparam teſtaturus, ante Aram ejus, in æde Hallenſi miraculis claram, pennam argenteam ſuſpendit, hoſq; inſcripſit verſus; Hanc Diva pennam interpretem mentis meæ, per alta ſpatia quæ volavit ætheris, per ima quæ volavit & terræ & maris, &c. hanc pennam Tibi, nunc Diva meritò conſecravi Lipſius. *Regna ſuper populoſq;, vehebaris hactenus eruditæ pennæ obſequio eloquentia, te ipsâ minor, quia in plurimas delata partitaq; gentes; ut ex omnibus collecta decora, uni Polono inferres Senatori, Zeuxidis inventum imitata, quot Rerum Publicarum, totidem Dearum formas obſervâſti, ut unius Poloniæ, Senatoriam Curiam, Iunonis veteris ſimulacrô, pulchriorem effingeres; & jam Lipſianâ Politiâ, laſſatam erudito volatu pennam, magnorum Poloni Senatûs Numinum, ingreſſa Baſilicam, ad Senatoriam GAŁECCIANÆ Curulis Aram appende. Appende pennam, GAŁECCIANÆ Gloriæ portandæ imparem, aſvetaſq; non humili volatui alas, ad cultum ac venerationem magni Palatini ſecuriùs ſubmitte, niſi velis Icariæ ſonitum ruinæ recordiri. Magnitudinem Senatoris in Palatino ma-*

 ximo

 ximo metiri desideras? Giganteos tende lacertos, nec prius Senatoris, quàm Senatus Poloni, non priùs Senatus Poloni; quàm poli cælestis, metire si vales vastitatem, utraq; nempe magnitudo, sub mensuram non cadit, cui sola mensura est, gloriæ immensitas. Senatui ego Polono rectiùs adscripsero, quod olim de Roma, ejusq; Senatu Cyneas pronunciavit (Vrbs hæc (*Senatu scilicet in ea commorante*) templum mihi videtur, Senatores Regum consessus,

Laus Virorum

Quid verò iste ordo est, nisi flos dignissimus orbis?
Pars melior populi humani, mẽs publica, portus
Consilij, Regni decus, & statio alma salutis,
Juris præceptor, Regum consessus, apexq;
Justitiæ, mundi lumen, rectiq; corona.

Hæc demum Senatus Poloni est magnitudo, hoc gloriæ fastigium, hic Regnorum apex, in quem nemo provolaverit, nisi priùs Avita decora in alas extenderit, propria merita in pennas aptaverit: hoc Tu Senatus Poloni culmen, Palatine Illustrissime occupâsti eo feliciùs, quod non affixas gentilitijs tantùm Ceris, excelsi generis pennas, verùm nutritas faustis Illustrissimæ Domûs sub Penetralibus, virtutis meritorumq; alas, longo usu rerum, probatæq; sapientiæ nervis firmatas, extenderis, fortunæq; inconstantis præcipitia prætervectus, communes fortunatorum non horres vices, quia proprijs, non commodatis fortunæ pennis, in sublime proveheris. Atq; ut Senatoria in Te Omina, Decora, & Fata, semper prospera, GA-

ŁECCIANA ſvada repræſentet, omnia ad ſummæ proſperitatis apicem, ſublimavit, unica Tuæ Gloriæ parens, auſpex, & arbitra dignitatum, GAŁECCIANA Virtus, nulli gravis ac incommoda, ut potè quæ, non gentilitium ſolùm decus, verùm etiam ingenium aviti Iunoſæ induîſſet. Præeant alijs, magnis quæſitas conatibus ad dignitates omina: incertos alij militarium aquilarum volatus, anhelo ſequantur intuitu; alijs in cæſorum hoſtium extis, ventura inſpiciantur fata; Tibi certior haruſpicina nulla, quàm ex calentibus amore patriæ, gentilitij Agni viſceribus, quæ penitiùs inſpecta, nihil non ſummum, GAŁECCIANÆ portendunt familiæ. Præiverit Cranao Græcorum Duci, ad Coronam, auſpex Caprearum exercitus, plures ad purpuram non caprarum grege, ſed unius Amaltheæ, ducuntur à cornu, rectèfactorum, inopiam, auri ſupplente copia, Tibi Palatine Illuſtriſſime ad gloriam, Felicius Gentilitius præcurrit Aries, cui nunquam in turpe lucrum erecta, nunquam in patriam obverſa cornua, innatus candor, vita in victimam patriæ deſtinata. Atq; hæc Tibi magne Palatine omina fuêre futuræ dignitatis

- - - Mens ardua ſemper
A puero, teneriſq; etiam fulgebat in annis, *Claudianus*
Fortunæ majoris honos, erectus & acer,
Nil breve moliri, nullis hærere potentum,
Liminibus; fatiſq; loqui jam digna futuris.

Hæc demum in te omina, quæ extra Delphos, tripodesq; Phœbi, Elicia virtus elicuit, explicuit diſertè

inter-

interpres honor, poſtquam ominatis dignitatibus impleviſſet. Tardum plurimorum incrementum, parvos magnæ ſpei fructus vix in exitu autumnali ſpondet virtus, & ſæpius in albentem capiteq́ hyemantem canitiem deijcit, non aliter communi Patriæ Palato porrigendos, quam ſi prægustati jam, ac præmorſi parcarum faucibus ſuſcipiantur; at Tu Inclite Palatine, primo ætatis vere, jam tum maturum gloriæ exhibueras Autumnū, cùm vix dum vernare viderereris, ideoq́ plurimorum, vix capularem ætatē ſequens, Te cum ipſis Lucinæ Facibus quæſivit honor, ut maturiùs collatus, Titulos Titulis, Faſceſq́ ſecundis Faſcibus, toties commendaret, quoties tu merita meritis cumulâſſes: nec ignarus, quanta patriæ ineſſet Senatoriarum virtutum orexis, Archimagirum regni te ſtatuit, ratus, à nullo, lectiora patriæ, proponi poſſe obſonia, quàm à Te, qui non quæſitas ultra extrema maria, non extortas cùm ſangvine, lacrymarumq́ ſalſedine inſulſas dapes, verùm de Tuo, Tuas, dominatas, in gentilitio Agno, innumeris virtutibus pleniſſimo, menſas erigeres, ſecundis ſecundiores, imò ſecundiſſimas. Accidit palato, Iovis Poloni, victima publicæ felicitatis GAŁECCIANVS AGNVS, hinc Phryxeo Ariete digniorem, in cælum Poloni Senatus tranſtulit, vellus in Palatinam Purpuram elaboravit, Mars & Bellona amica GAŁECCIANÆ Domui Numina, Tyrij vice muricis, Tauricano tinxerunt cruore. Ac nè excel-

Primò Archimag. Regni creatur.

ſum Agni GAŁECCIANI *ſydus, in pari tropico coruſcaret, in Majoris Poloniæ climate illud conſtituit, clariùs è ſublimiori convexo, univerſam patriam illuſtraturum. Nunquàm Caliſſienſis, nunquàm ſe majorem, Polona in majori Polonia vidit libertas, quàm ſub dominio Agni: verùm parum erat Poloniæ ad Gloriam, exile virtuti Tuæ ad Majeſtatem, Caliſſienſem, Te Caſtellano impleri curulem, niſi etiam impleres Poſnanienſem: Hinc cæleſtis inſtar Planetarum Principis, Caſtellanus Hyperion, uno luſtrato & illuſtrato cælo, alteri oriebaris, nè ut ſuo, ita Tuo nomine major diceretur Polonia: Imò majori Polonia majorem virtutem Tuam, vidit probavitq́; coronatus Poloniæ Iupiter, cum Te, poſt illuſtratos geminos Caſtellanos Polos, ad tertium cælum uſq; ſublimaſſet; nempè, ut ſicut in illo cæleſti, ita in terreſtri Palatinatûs Inovladiſlavienſis cælo,* Lucerna eſſet Agnus. *Proprium planè, nec ullum magis conveniens ſydus, pacis Regioni, Agno, eo gratius exortum, quod cùm quiete lucem apportaret. Odit enim verò* GAŁECCIANVS *Iunoſsa, non ſolùm Purpuratos Centauros, Leonesq́; illos, ad quorum exortum Pacifica etiam Climata, in fulminum vertuntur Regionem, verùm etiam caliginoſa illa, Aquatorum ſydera, quæ omnibus, Fulminibus pernitioſiori illuvione, ſubjectum depravant orbem. Procul hæc erronea caliginoſaq́; lumina, ab Illuſtriſſimo* GAŁECCIANO *Agno, quem in Palatino*

tum Caſtellanus Caliſſienſis.

Deinde Poſnanienſis.

tandem Palatinus Inovladiſlavienſis.

E *cælo,*

cælo, inter Senatoria decora, totidemq́ radios obſervaturus, quantumvis criticos Livor admoveat oculos, nihil obſervabit, niſi quod ſuam, ægram ſcilicet, quia lividam, lædat pupillam, ſaniora Patriæ paſcat lumina, & delectet. Proprium ſyderibus in inferiora climata influxum, vidit non minus liberalem, quàm ſalutarem Polonia, adorant aureum ſydus, felicitatis aureæ auſpex, miſerorum ædes, & Religioſorū Aſceteria, illudq́ GAŁECCIANIS inſcribunt poſtibus, quod ſuo Principi Floridus inſcripſit vates,

Munificentia in Religioſos & pauperes.

Hic, non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, ſed largior imbre,
Sveverat, innumeras opibus ditare catervas.
Cernere ſemper erat; populis undare penates,
Aſſiduos intrare inopes; remeare beatos.

Claud. de laud. Probini & Olibrij

Krotoſʒynenſis Principibus Apoſtolorum, erecta, ſuper conculcato contritoq́ Lutheri capite Eccleſia, ſtabit GAŁECCIANÆ gloriæ capitolium Romano perennius, ſtratiq́ cum diruto fano hæreſeon Phanatici, jacentes ſub pedibus Apoſtolorum, aſſurgent zeli GAŁECCIANI monumenta ære perenniora. nunquam ſcilicet, ſublimiora cenſet orthodoxa religio trophæa, quam ejuſmodi ruinas recenſendo. Conjunxiſti Palatine Illuſtriſſime, erga Deum Divoſq́ cælites, Majeſtatiq́ Senatoriæ, amorem omnium, ſolennem illam ſecundæ fortunæ comitem, ſuperbiam ſcilicet deteſtatus, hoc magis excellens & eminens, quod unus ex omnibus inter omnes cenſearis. Sapientiæ Eloquentiæq́ Tuæ Polone Neſtor, illud inſcripſero

Krotoſʒyni everſo Lutheri fano, erigit Eccleſiam Principibus Apoſtolorum.

quod

quod ſuo Purpurato Phrygius inſcripſit vates.

Neſtora magnificat morum prudentia cuſtos
Conſilij, librata fides, & ſobria fandi
Gloria.

Dares Phrygius.

Tibi magne Palatine, Senatus Polonus, Reſpublica, Nobilitas univerſa, illud meritò inſcribit, quod olim Polonus Eccleſiaſtes Stephano Regi, Marti illi Europæo, inſcripſerat,

In ſententia ferenda, plus quàm Senator:
In judicijs, plus quàm Juris conſultus;
In Eccleſia, plus quàm Sacerdos;
In exercitu, plus quàm Imperator;
In tota vita ſua, plus quàm Philoſophus.

Starovolſcius.

Adverſis in Te Fatis, inconſtantiq; fortunæ nihil licet, qui ſupra fortunam virtutibus proveheris, his cum debeas omnia, nihil illi cæco numini debêre, liquidò oſtendiſti, poſtquam illam faciendo Tibi obæratam, Tuæ fortunæ Faber, Tuam eandem effeciſſes. Vive Palatine Illuſtriſſime, & inter nova omina, Decora, Fataq; Domui Tuæ fortunatiſſima, poſt coronatam ſupremis honoribus Domum Tuam Illuſtriſſimam,

Serus in aſtra redi, formidandaſq; ſuperbis
Temne Deas, æterna trahent Tibi ſtamina fata,
Cæca Tuos vultus ſi mors ſpectaret amaret.

MAGNITVDO SECVNDA TRISMEGISTI POLONI LEGATVS.

Inter propria Omina, Decora, Fata.

OMINA LEGATI.

OMEN PHILOSOPHICVM.

INtimus ac cognatus ſubſtantiæ Legatus Accidens, tantâ pollet activitate, ut illo agente, ſubſtantia perenni pace perfruatur: nihilominùs & pacis & belli gloria, ex Accidente in Subſtantiam, ceu militum plauſus, in Principem promanant. Hujus verò activitatis in Accidente, omen erat virtus illa agendi, quam naturali jure, accidens ita hereditavit, ut meritò virtus ſubſtantiæ nominaretur. Secundò, Martia illa Fidelitas, ita ſubſtantiæ fœderata, ut perennem hoſtilitatem exerceat, nullaq; fœdera cum illis admittat, quibus aliqua in exitium ſubſtantiæ aſſurgendi, ſubſint indicia. De hac accidentis activitate, ominatus eſt olim Philoſophus, Libro de ſenſu & ſenſibili: *Quâ igitur ignis, & quâ terra, nihil natum eſt agere, quâ autem ineſt contrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur.* Hinc ſolennis activitatis Phyſicæ, exoritur teſſera: *Accidentia ſola immediatè, tanquam virtus adæquata cauſæ creatæ, producunt ſubſtantiam.*

OMEN

OMen Politicum, Legati Orthodoxi, non eſt illud, quod Politici quidam malè aſſignant; nempe *materiam ſtatûs*, cui ita ſe devoverunt, ut nihil ſit tam ſanctum, quod in Idoli iſtius cultum, non judicent eſſe profanandum. Hinc jam percrebuit definitio Legati publici, apud quasdam gentes, *quòd ſit vir bonus, id eſt, boni & ſinceri hominis ſpeciem præſeferens, foràs miſſus ad mentiendum.* Quis orthodoxus Legatus iſtud encomium ferat, & non potiùs velis remisq; averſetur, ac cum ſuo Machiavello omnibus diris devoveat? Legatus ergo eſt *ille vir bonus, qui Reipublicæ nomine, ad Principes delegatur Orator.* Omen Legati, eſt explorata in Patriam fidelitas, nullis amica, niſi Patriæ amicis: hoſtibus hoſtis: licet enim augurari, acturum illum pro Patria, cum externis fideliter ac proficuè Patriæ, qui cum concivibus, non ſuam rem egit: non vincetur affectu externo ille, qui amori proprio nunquam ſuccubuit. Neq; ſolùm Patriæ, verùm etiam hoſti ſervanda fides: hinc Legati illi perfidi, indigni ſunt hoc munere, quibus ſolenne eſt: *Pacem orare manu, præfigere puppibus arma*: quorum ingenioſa Pöëſis ideam, in perfido illo Deorum Legato, Mercurio expreſſit. Odio non divino, nec humano proſequebatur centoculum Argum Jupiter, delegat igitur Mercurium ad eum interficiendum, hunc decepturus Mercurius, talaria pedibus, capite galerum induit, manum impedit virgà, paſtoremq; habitu ſimulans, ante ſe capellas agens in rura, carmen agreſte modulatur. Argus captus dulcedine cantûs, incognitum Deum invitat, ad ſecum in umbra conſidendum, Mercurius quà fabulando, quà canendo, protraxerat diem, & paulatim in ſomnum Argum reclinavit; ſed qvia, luminibus quibusdam clauſis, vigilabant alia, non potuit totum conſopire hominem,

P. Grobendoq. de ortu & progreſſu ſpiritûs Politici lib. 1. c. 1.

 minem,

minem, donec medicatâ virgâ, permulsit oculos, eosqvè lenissimo contactu penitus occlusit, tandem sensibus jam omnibus destituto, caput ense demessuit. Mercurius, Legati vafri & perfidi idea est: Serviebant ei, plures ad fallendum Argum technæ. Primò, ut simulationem & dolum tegeret, simplicitatem Pastoris induit, & similitudine habitûs & fortunæ, sese in amicitiam hominis insinuavit. Deinde adhibuit insidiosam facundiam, huic adjunxit illecebrosos modulos, virgam præterea soporiferam. Hunc imitantur Legati, qui Svadam in ore, fallaciam in pectore portant, quorum insigne caduceus est, pacis quidem, & amicitiæ Symbolum, sed idem, dolosa simul est Mercurii virga, serpentibus circumvoluta. Hàc illi instructi, etiam vigilantissimos oculos fascinant, & tenebris obducunt. Dolosi hi, ac mali ominis pessimi Angeli sunt, sinistri ominis tibi alites futuri, nisi è numero sis pennatorum, oculosq; in ejusmodi fallacias semper apertos tenueris. Hos qvia centoculus non habuit Argus, rectè ipsi inscripsit Pòéta:

Virgil. Æneid. 2.

Arge jaces; quiq; in tot lumina lumen habebas,
Extinctum est; centumq; oculos nox occupat una.

OMEN HISTORICUM.

SÆpiùs belli quàm pacis auspices, Legatos vidit Orbis, nec toties amica pacis Sidera, quoties præsagos bellorum Cometes, imò tempestatum illarum, quibus integra concussa & convulsa sunt imperia, prodromos à variis Polis exortos exhorruit.

Ante bellum Carthaginense, ad Senatum Carthaginensium inter alios Legatos missus est Q. Fabius, qui postquam in Senatu illo stetisset, sinu ex Toga facto, *hîc*, inquit, *vobis bellum & pacem portamus, utrum placet, sumite.* Sub hanc vocem non minùs ferociter Carthaginen

Livius lib. 21.

ginenſes, daret, utrum vellet, ſucclamaverunt; tùm Fabius iterum ſinu effuſo, bellum ſe dare dixit: accipere ſe reſponderunt Carthaginenſes, & quibus acciperent animis, iisdem ſe geſturos.

Cùm Darius in Scythia, in anguſtias cum exercitu incidiſſet, miſerunt ad eum Scythæ Legatum, cum *Ave, Mure, Rana,* & *quinq; Sagittis.* Ea munera Gobrias id indicare dixit, niſi Perſæ vel cum avibus in äërem evolarent, vel cum muribus intra terras ſe abſconderent, vel cum ranis in paludes ſe demergerent, non evaſuros telorum Scythicorum ictum. *Herodotus lib. 4.*

Boleslaus Kriwouſtus, Białogrodum in Pomerania oppugnaturus, duo Scuta cum Legato miſit, *album, quo pax, & rubrum, quo excidium ſignificabatur:* illi Scuto utroq; accepto, ſanguine Polonorum, ſe ſibi candidam victoriam paraturos, reſponderunt. Sed expugnati, miſericordiâ Victoris vitam retinuerunt. *Cromerus lib. 5.*

Caidanus, UltraVolgenſium Scytharum Regulus, audito per Ruſſiam Erdivili Principatu, per Legatos tributum imperat, vel bellum. Erdivilus Legatos humaniſſimè detinet, intereà Militem congregat, tum Legatis imperiosè vocatis, tributum negat, bellum indicit, & Regulo, donorum loco, *Sagittas duas* perferendas tradit; ipſe occultis per ſylvas itineribus, hoſtem invadit, & cædit. *P. Koiałowicz Hiſt. Lith. Part. 1. lib. 3.*

Anno 1332. Dux Moſchoviæ Demetrius Semeczka, totius Ruſſiæ potiundæ cupidus, ad Olgerdum Magnum Lithvaniæ Ducem, Vitebſci tum degentem, Legatum *cum igne & gladio miſit*, *hæc* (ajens) *munera, à Suo Duce, Vilnæ inter Paſchales ferias expectaret, niſi Ruſſiâ cederet, Lithvaniam Moſchoviæ Duci ſubjiceret, tributum ſervitutis pretium mox numeraret.* Olgerdus, acceptâ legatione, Legatum humaniter detinet, collectum è Samogitia, Lithvania, Ruſſia exercitum, mediâ Quadrageſimâ in Moſchoviam ducit; præibant exercitum, agreſti-

grestium operarum millia aliquot; his imperatum, ut viam, quæ rectè Moschuam tenderet, per sylvas atqve paludes aperirent. Ubi Mosaiscum ampla civitas non procul esset, Olgerdus exercitum in apertam viam educit, Legatum hactenus ignarum, quid secum ageretur, advocat, *fomitem succensum* tradit dicens: perferret Suo Principi literarum, munerumq; loco fomitem accensum, diceret, *liberare se Ducem Moschoviæ, labore Vilnam usq; pergendi, & priorem Moschuæ adfuturum, quàm ignis fomitem hunc exederet.* Octo adhuc supra decem milliaria supererant, inter castra Lithvanorum & Moschuam, tantâ tamen celeritate id viæ confectum est, ut Legatus, sequentem exercitum, vix paucis horis antecesserit. Hâc ipsâ nocte Legatus Moschuam ingressus, quà Christo post mortem surgenti Sacra, Dux ad nocturna Sacra templum ingrediebatur; Legatus occurrit, hostem se Mosaysci reliquisse nuntiat: Fit ingens trepidatio, obsidetur interim à Lithvanis Moscua, suburbia incenduntur, agitur de pace, certisq; conditionibus concluditur, Lithvanis ingens pecunia, stipendii vice, à Duce Moschoviæ numeratur: tum Olgerdus, cum selecto Equitatu, Moscuam ingressus, ipse hastam ad portam Arcis Ducalis frangit, tum Ecclesiam, ubi Dux Sacris intererat, intrans, hoc stylo Moschoviæ Ducem salutat: *Intelligis jam Demetri, quis nostrûm gerendis bellis maturiùs consurgat,* simulq; *Ovum Paschale* Duci obtulit.

P. Koiałowicz Hist. Lithv. Par. 1. lib. 8.

Anno 1410. supremum contra Crucigeros, à Jagellone & Vitoldo bellum suscipitur, & ad Grinvaldiam sedes belli eligitur: Jagello Rex pientissimus, non ignarus, ut bella ipsa; ita victorias solius nutu Numinis dispensari, ante Sacras Aras, cùm intereà incruento sacrificio litaretur, in genua provolutus, imminentis prælii fata, Supremo rerum omnium Arbitro commendabat. Magister Crucigerorum Ulricus de Jungingen

victo-

victoriæ securus, atq; indè moræ impatiens plenâ fastu legatione, Regem ac Vitoldum in prælium provocat. *Duos enses strictos*, unum dexterâ, alterum sinistrâ ferebat Legatus. Hic, ubi surgenti ab orando Regi obviam occurrit, Magistri sui nomine, moram, metumq; exprobrat; *Si arma ad prælium deessent, unum Regi, alterum Vitoldo gladium, à Magistro offert.* Imperturbato ad hæc Rex animo, vultuqvè: *Benè est*, inquit, *accipio lubens Omen, hostis in jugulum suum, ferrum ministrantis.* Mox dimisso Legato, DEI, & Deiparæ Virginis auxilium invocat, signumq; pugnæ cani jubet. Pugnatur, vincuntur, cæduntúrq; Crucigeri, quadraginta bellatorum millia ex illis cæsa, cum ipso Ordinis Magistro Ulrico.

P. Koiałowicz Hist. Lith. Part. 2. lib. 2.

Russi aliquoties â Boleslao cæsi, ut vindicarent clades sibi illatas, dolo usi sunt ejusmodi: Missis Legatis obstringebant se, omnes Tributarios fore. Rex igitur nihil mali suspicans, paucis Copiis stipatus Russiam petit, ubi ad Haliciam à Russis & Ungaris cingitur: in primo congressu Palatinus Cracoviensis, cùm præcipua ala Equitum terrore actus fugit, Regemq; deserit. Rex vix fugâ se præsenti cladi eripit, Palatiniq; Cracoviensis perfidiam execrans, *pellem ei leporinam, & Colum muliebre instrumentum, & lini fasciculum, funemq; misit*: indicans, eum in fugiendo similem fuisse lepori, nec dignū, qui sit vir, sed potiùs mulier habeatur, dignusqvè suspendi. Palatinus ille in desperationem actus, in Campanili Oratorii sui, fune campanæ se suspendit, ab hocqvè tempore Castellanus Cracoviensis, Palatinum dignitate antecellit.

DECVS PHILOSOPHICVM.

RAtionalis Philoſophia, ut ſuæ ſcientiæ Majeſtatem demonſtret, Demonſtrationem, tanquam perfectiſſimum perſvadendi modum, in objectum Attributionis eligit. Legatio Demonſtratio eſt Majeſtatis Regiæ, ſicut ergo Philoſophica Demonſtratio non omni argumento innititur; ita Politica non niſi lectiſſimo ſubjecto conferenda, in quod omnia civilia attributa referantur: id vel ipſa Legati notatio, Varrone authore demonſtrat, qui *Legatum à legendo dictum eſſe docet*, quòd non niſi lectos, hoc eſt, ut Maro canit, *delectos ordine ab omni*, tam arduo muneri præficiat.

DECVS POLITICVM.

DECUS PRIMUM Legati, eſt DECOR CORPORIS, virilis, & qui virum ſuum loquitur. Hinc in Legato, ſpectanda eſt corporis & membrorum, ad omnem gravitatem compoſita ſymetria. Riſus olim obortus eſt in Sacro Cardinalium Conventu, cùm Jacobus de Caſtello, Bononienſis, ad Bonifacium Pontificem Maximum Legatus peroraret: Hic cùm puſillâ ſtaturâ eſſet, Pontifex ratus, Legatum genibus flexis verba facere, erigi & aſſurgere eum juſſit. Conſultius ejuſmodi hominibus eſſet ſedere, quàm ſtare, ſecundùm illud Naſonis conſilium: *Si brevis es, ſedeas, ne ſtans videâre ſedere*, Nec etiam Legati mittendi, qui nimiæ & Cyclopicæ ſunt proceritatis, ne coloſſus magis quàm homo mitti videatur. Nec mittendi, qui inſigni aliquo corporis nævo ſunt notati: Ita ob nævum in facie accepti vulneris, irriſus eſt, teſte Varſevicio, Hiſpani-

Hiſpanienſis Legatus, licèt ingeniosè ſe vindicavit. Nam à quodam Baſſa interrogatus, deeſſentné ipſius Domino homines alii, quos ſine cicatricibus ad Imperatorem mittere potuiſſet? reſpondit Legatus: *Hominum nobis abundè eſt; verùm ideò cum nota hujus vulneris, quod non aversâ, ſed adversâ parte accepi, ad vos venio, ut noſtræ de vobis ad Naupactum victoriæ, teſtimonium ob oculos proponerem, in qua pugna & tu debuiſti interfici, niſi pedibus tibi conſuluiſſes.* E Stoicorum cenſu Catonem fuiſſe accepimus, qui ſola animi bona pro veris habebant, cætera verò decora ne nomine quidem boni digna judicabant: Et tamen eundem, deformitatem, in Legatis ſuâ ætate à Senatu miſſis, ſcommate & joco proſecutum legimus. Cùm enim pacis ergo, inter Nicomedem & Pruſiam faciendæ miſſi eſſent, quorum alter lapide quondam petitus, cicatricoſam frontem ferret, alter verò è pedibus laboraret, tertius verò, ingenio planè ſocorde eſſet; feſtivè ille, *Legationem*, inquit, *populus Romanus mittit, quæ neq; caput, neq; pedes, neq; cor habet.*

DECUS SECUNDUM, EXPERIENTIA RERUM. Hanc rarò in prima adoleſcentia reperias. quare ad hæc ſimiliaqvè, ſenes deligendi, quos longus rerum uſus, fortuitiq; ac deſtinati caſus erudierunt. Non tamen etiam Juvenes omnes excludendi à Legationibus, judicii hoc in munere, altitudo, non ætatis conſideranda. Audiantur inter ſuffragantes Legato voces, etiam juvenum pro ſe ſuffragia:

Mento caneſcant alij, nos mente; capillo,
Nos animo; facie, nos pectore. Tempora certè *Dares Phrygius de bello Troian. l. 1.*
Virtutem non prima negant, non ultima donant.
Quumq; duplex ætas varios contendat in uſus:
Hæc viget, illa jacet: hæc pullulat, illa fatiſcit.

DECUS TERTIUM Legati, ELOQUENTIA. Legati illa Generoſi vox fuit: *Si bella vocabant, miles eram; ſi pax, poſitis toga geſtijt armis.* Eloquentia interim

ſit matura & brevis; non placet enim Principibus prolixitas, & ferè in uno pectore, prudentia & multiloquentia non conveniunt; undè niſi ſuccinctus ſit Legatus, idem audire cogetur, quod de Samiorum Legatis, Cleomenes Lacedæmonicus dictum reliquit, cùm nimis prolixâ oratione uterentur, nempe reſponſum acceperunt, *quòd quæ primo loco dixiſſent, non recordaretur; media, non intelligeret; ideòq; ultima approbare non poſſet.* Brevitas ſermonis in Catone Legato adeò placuit Græcis, ut *Romanorum ſermones in pectore, aliorum in ore naſci pronunciârint.*

DECUS QUARTUM Legati, TEMPERANTIA & CONTINENTIA. Turpe à vino, turpius à Venere vinci, *reddunt delirum fœmina, vina virum.* Malus cuſtos conſilii vinum, peſſima ſecretorum ſervatrix mulier.

DECVS HISTORICVM.

RElíqua Legati Decora clariùs pateant in exemplis. Exemplum magnanimitatis inſigne, habetur in Priſco Rhetore de Apollonio Orientis Legato. Attila offenſus, quòd ſibi tributum à Theodoſio & ejus ſubditis non ſolveretur, Legatum ad ſe non admiſit, munera tamen, quæ ei ab Imperatore Apollonius attulerat, ſibi tradi poſtulabat, ni traderet, mortem illaturum ſe minabatur. Apollonius reſpondit: *Non decere Scythas in aliqua dubitatione verſari, utrum dona an exuvias accipiant, cùm ea res in illorum eſſet arbitrio.* Indicavit hoc dicto Legatus, dona quidem à volentibus accepturos, ſi ſe tanquam Legatum admitterent; ſin minùs, quæ eriperet, ſpolia potiùs quàm munera cenſeri debere: terruitq; inopinato reſponſo, & intentatæ mortis contemptu barbarum hoſtem, tam facilem alioqui in ſanguinem, quàm in prædam.

Fidelitatis exemplum patuit in Pompejo: hic dum Legationis munere fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cùm Senatûs consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eâq; patientiâ, Regi simul & desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi incussit, & expetendæ Populi Romani amicitiæ, magnam cupiditatem ingeneravit.

Sapientiæ exemplum, præbuêre olim Duo Saxoniæ Electoralis Legati, Abrahamus Bokcius & Andreas Pauli, quorum auditâ Oratione Stephanus Poloniæ Rex, subjunxit: *Non dubitare se, non unius regni & imperij, sed totius terrarum orbis gubernacula, duorum horum Nestorum fide & consilio adjutum, felicissimè gubernaturum.* Idem judicium erat Urbani VIII., de OSSOLINIO Legato Vladislai IV. Poloniæ Regis, cujus admirabili svadâ, Summus ille Pontifex delectatus, subjunxit: *Non potuisse Ciceronem cum majori populi Romani plausu pro rostris perorare*: OSSOLINIUMqvè UNICI FILII NOMINE insignivit. *Vaßenbergius.*

FATA LEGATORUM.

FATVM PHILOSOPHICVM.

Præscindendo à Decreto Divino, quo *statutum est omnibus hominibus semel mori*, probabile est, quòd possit Legatus naturaliter perpetuò vivere, modò ipsi adesset copia, talium Medicorum, quibus inesset notitia rerum naturalium, quæ in hoc universo sunt conditæ.

VT aliorum mortalium, sic & Legatorum mortalis vita, mille fatis impetitur, ut benè expressit Herodianus lib. 2. in vita Pertinacis, his verbis:

Hic laqueo, hic ferro, hic flammis, hic frigore, hic undis,
Ille fame, ille cibo moritur: multiq; dolore,
Aut morbo, aut casu intereunt, seniove fatiscunt.
Certa dies lethi est cunctis, discrimina nulla
Ætatis: nec fas vivendo excedere metas,
Præscripsit tetrici quas cuiq; potentia fusi.
Heu quot habet mors sæva vias, artesq; nocendi!

Non inficior equidem, teste Cicerone, nomen Legati ejusmodi esse debere, *quòd non modò inter sociorum jura, sed etiam inter tela hostium incolume versetur*: læsos tamen Legatos sacrosancto gentium jure calcato, non semel accepimus. Sed nullus inultus diù sanguis stetit. Asculani Romani populi Legatos occidunt. Verùm arsit hâc cæde Italia tota, expugnato tandem à Pompejo, arcis præsidio, Præfecti, Centuriones, civitatis Principes, virgis cæsi, securi percussi sunt, & ita sanguine, sanguini Legatorum parentatum. Ligures Flaminium Legatum opibus exuunt & vulnerant. Hinc Ægina, in qua violatus Legatus, obsessa, capta, in servitutem cives dati, authoresq; injuriarum catenis onusti, Romam abducti. Lartes Tolumnius Vejorum Rex, quo authore à Fidenatibus, Romanorum Legati cæsi, bello cadit: Fidenates verò cum Rege suo deleti, urbs capta, direpta, cives superstites sub corona venditi. Fuit nimirùm hoc omnium gentium jure receptum, ut sanctissimè Legatorum integritatem tuerentur, non opibus, non sanguini parcerent, Provincias & Regna funditùs delerent.

FATUM

MAndatorum ſui Principalis, & veteris conſvetudinis, memor debet eſſe Legatus. Hinc Orobaſium Parthorum Legatum, quòd Syllæ nobiliorem in conſeſſu ſellam conceſſiſſet, ſui cives necârunt. Et Demagoras mulctatus Athenis, quòd Perſarum Regi proprium Athenienſibus cultum exhibuiſſet. Demades etiam punitus, qui ſimiles honores Alexandro præſtiterat.

Faſtus etiam in Legatis non tranſiit impunè. Ita Lacedæmonii Legatos Xerxis, in barathrum & puteos præcipitârunt, quòd magnificis & injurioſis aliquomodo verbis, ac ſuperbâ nimis Oratione, terram & aquam petiiſſent. Balaklajus, Ultravolgenſium Scytharum Regulus, bellum contra Skirmundum Novogrodiæ Ducem molitus, ut cauſam prætenderet, pro tributo mittit. Offenſus ſuperbâ Legatione Skirmundus, contracto ex Lithvania Ruſſiaqvè exercitu, exceptis lautiſſimo convivio Scytharum Legatis, poſt longam commeſſationem, *nares & auriculas ſingulis abſcindi jubet*, illasq; tributi loco Regulo referri mandat. Tartarus tantâ contumeliâ incitatus, Koydanoviam usqve populationibus attigerat: verùm præſtò aderat cum exercitu Skirmundus, pugnatur, vincitur, & occiditur Regulus. Skirmundus victoriam urgens, Mozyrum, Starodubum, Czernichoviam, totamq; Severiam Tartaris recepit, ac Novogrodienſium Ducatui adjungit.

P. Koialowicz Hiſt. Lithvan. Parte 1, lib. 3.

RE-

REPRÆSENTATIO PANEGYRICA.
Inter Omina, Decora, & Fata fortunatissima.
IN ILLVSTRISSIMO PALATINO INOVLADISLAVIENSI.

H*Actenus aliorum non minus Legatorum spectatrix, quàm Legationum comes, per varia Regna gentesq́ ferebatur, ad Te tandem ceu suum ad centrum regreditur Eloquentia, in quem omnia, Omina, Decora, Fataq́ fortunatissima Legatorum confluunt ac concentrantur.* Illustrissime Domine. *Magnarum verò, quas pro Rege & Patria subijsti, Legationum Sarmaticus Cyneas, omen erat, etiamnum in prætexta Virtus Tua grandæva, quæ illos privati solis sacrificulos Heliogabalos, illos ridiculos non ultra paret impar domesticum ad focum Consules exosa, generosæ more aquilæ, non diu à materno pendebat rostro, jam tum è nido ad solem evolavit, cùm alijs vix repere sit solenne. Publicis Tuis ad Principes Europæ expeditionibus, præivêre frequentes intra Patriam ad Generalia Regni Comitia Legationes, minores quasi victimæ, maximæ hecatombe. Nempè futurus olim Majestatis Polonæ, coram Regibus & Principibus bajulus, intra patriam Tuas explorabas vires, talemq́ Te Domi velut*

Ad Generalia Regni Comitia sæpius Legatus

lut

lut ultra cortinam componebas, qualem in publico orbis theatro, Regum ac Regnorum oculis proponeres. Quis solennes illos Commissionum actus, cum pace partium, à Te compositos, pari celebret elogio? unum magnus non semel Commissarius commisisti: quòd nihil omiseris, quo jus æquumq́, quo statera justitiæ offenderetur. Hinc Te felicem reum, Regalis judicij honor comprehensum, Supremo Regni Tribunali exposuit, ut in hoc æquiori extra Græciam Areopago, non minus in aliorum vitia, quàm in Tuas virtutes promeritam ferres sententiam. Tu interim, non aliter de Te, quàm humiliter judicans, in nullum magis, quàm in Te censorius Cato, nihil de Te, nisi humile in Tuo Tribunali statuebas, nec Gratijs cum Xenocrate, nec ulli Numini, præterquam soli Astrææ gnarus sacrificare. Sic de Te rigidus judex, omnium Tibi favores adjudicâsti, tulistiq́ in Te sententiam, quam ferre recusabas; nempe ex illa virtutis Æde unanimi Tuorum Collegarum sancito, Tibi ad Templum Honoris Senatorij transitum decernente. Placuit istud Regalis Areopagi placitum IOANNI III. AVGVSTOq́ semper SECVNDO, Poloniarum Regibus. Hinc ut illud Regijs Gratijs coronarent, coronariam meritorum Tuorum purpuram emeritis imposuerunt lacertis. Verùm parum erat, tot meritorum purpuratum, unius Poloniæ oculis exhiberi. Ivisti ergo bonis Avibus, quia Sarmaticis aquilis, Augustus MAGNI AVGV-

Commissarius & pacificator in varijs publicis negotijs zelosissimus.

Ad Tribunal Regni frequenter Iudex Deputatus.

 STI

STI Fecialis, per dissita regna. Polonæ ostentator & stator Majestatis, vidêre stupuêreq; in Magno GAŁECCIO, veteres Cyneas, Fabiosq; Maximos, florentissima Daniæ, Sveciæq; regna, statusq; Hollandiæ, in radioq; Illustrissimo, Serenitatem Polonam adorârunt. Neq; radij nomen aut humilius aut vilius portati à Te muneris dignitate arbitreris: nihil secretiùs est radijs solis, vident omnia, & vix videntur, apparent & latent: nihil ijsdem subtilius, pervadunt soliditatem cælorum, nec franguntur: permeant ignem, nec exuruntur: percellunt aërem, nec læduntur: Deniq; nihil est ijsdem radijs fidelius. eunt ad imperium, redeunt ad nutum. Talem oportet esse Legatum Regum, Talis fuisti Palatine Illustrissime. Ostendisti palam, Te purpureum solis Poloni radium, secretum ut tegeres, subtilem ut explorares aliena, eloquentem ut persvaderes, efficacem ut ageres, fidelem, nè velles fallere, sapientem nè falli posses. Rediîsti in patriam plausibus externorum Regum comitatus, accessisti Polonam Majestatem, nec minùs Regiam, quàm cor Regium in Tuo regressu es ingressus. Vive Magne Magni Regis, mentisq; Augustæ Arbiter, adversa Tibi fata nè metue, rigescent omnia ad aspectum virtutis Tuæ, veriùs quàm ad scutum Palladis. Quodsi facta secutus fuerit quamvis ingentia livor

Anno 1700. Legatus in Sveciam, Daniã, Hollandiã &c. à Serenissimo AVGVSTO II.

Disce libens, livore nihil sublimiùs esse;
Sis utinam invidiâ dignus, quæ summa lacessit.

Dares Phrygius de bello Troi. l. 6.

MA-

TRISMEGISTI POLONI.

MILES.

Inter propria Omina, Decora, Fata.

OMINA MILITIS.

OMEN PHILOSOPHICVM.

PHilosophus, inter plurima ſigna prognoſtica, habet ſignum unicum, ex quo de inſigni cujuſpiam ad rem bellicam indolé certò ominari poteſt. Atq; hoc ſignum eſt naturale, *quod in ratione ſigni conſtituitur formaliter per naturalem connexionem cum eo, in cujus ducit cognitionem.* Ita juxta Scripturam Prov. 6. *ex ſtudijs ſuis cognoſcitur puer,* arbor è ſurculo, ſeges ex herba.

OMEN POLITICVM.

OMina Politica Militis ex variis ſignis colligi poſſunt.

SIGNUM PRIMUM eſt Educatio dura & aſpera: qvia ut *mollibus aſſuetus, loricam ferre recuſat*, ita vulnera & mortem minùs timet ille, qui minùs deliciarum novit, ait Vegetius. Quare optimè ex eo capite laudat Pòëta Scythas: *Excipit hic natos glacies, & matris ab alvo, artus infantis molles, nix civica durat.* Hinc illa Scytharum fortitudo planè admirabilis. Dario olim totius Regni viribus impetum faciente, Scythæ paulatim cedentes, ad ultimas ſolitudines pervenerunt: inter-

rogati verò ab eo, quem fugiendi finem essent facturi? responderunt: se nec agros, nec villas, nec urbes habere, pro quibus dimicarent, & ideò cederent: cæterùm cùm ad parentum suorum monumenta perventum esset, tum demùm sciturum Darium, quomodo Scythæ soleant præliari. Lacedæmonii, populorum omnium bellicosissimi, ex Lycurgi legibus, pueros in scutis pro cunis alebant, virosq; in scutis pro Sandapilis extulisse scribuntur.

Cromerus lib. 5. Boleslaus Krivousti, nonum agens annum, impetravit magnis precibus & lacrymis à parente Vladislao, ut cum Sieciecho Campi Duce, adversùs Prussos proficisceretur; ivit, multaq; supra ætatem & fecit, & tulit. *Idem l. 10.* Premyslius Posnaniensium Dux, jussus à Patruo, exercitum duxit contra Marchionem Brandeburgensem annos natus 16. feliciterq; pugnavit. Sic parvi ad maxima bella aptabantur Annibales, sudabantq; inter bellicos æstus ante pilos, *quorum sub galeis tandem Mavortia canuit ætas.*

SECUNDUM SIGNUM futuri Militis est innata, & à Majoribus contra hostes Ecclesiæ & Patriæ cum lacte instillata proli inimicitia. Ita olim Angli, à pueritia odio Gallorum imbuebantur. Cùm enim Angli sagittandi arte excellerent, pro scopo, in quem sagittæ defigerentur, ponebant Statvam veste Gallicâ ornatam, ac filios suos artem sagittandi docebant, hâc compellatione: *Disce ferire Francum.* Vetustissima est, ac gentilitia quædam antipatia Gallorum cum Hispanis. Memorabile est Hathvei Cacici odium in Hispanos. Hic ob quædam flagitia captus, & ad rogum damnatus, jamq; palo affixus, & à Sacerdote monitus, futurum si crederet, ut mox æternæ beatitudinis præmiis, sin minùs, æternæ damnationis suppliciis afficiatur: postquam cogitabundus hæsisset aliquamdiu, tum ex Sacerdote sciscitatur: an etiam Hispanis regnum cœlorum pate-

pateret? affirmante Sacerdote, bonis patere; sine longa deliberatione respondit: *Cœlum se nolle patere, sed potiùs inferos, ne sibi domicilium cum gente Hispana commune esset.*

TERTIUM SIGNUM est Militis Exercitatio bellica. Undè Vegetio teste, populus Romanus Orbem sibi subegit, nisi armorum exercitio, disciplinâ castrorum, & usu militiæ? Apud Romanos enim, integrâ die fervebant militaria exercitia: veterani exercebantur semel, juniores bis, imò & ipsi Duces.

OMEN HISTORICVM.

MUltum interest, quibus signis, ominibus, portentis primordia vitæ vel illustrentur, vel infamētur.

Georgii Castrioti, vulgò Scanderbegi, Herois fortissimi secutura facinora, Matri serpens per quietem objectus indicavit, qui totam Epirum operire, & caput in Turciam protendere visus est, quòd Epirum Græciæ finitimam regionem Principatum hæreditarium Turcis erepturus, & longè latèq; terrorem ac damna circumlaturus esset. Acinacis prætereà, brachio impressam effigiem ab utero tulit materno, futuri bellatoris ostentum. Barlecius in ejus vita lib. 1. cap. 82. Tamerlanes dicitur, ex materno utero sanguine atro plenas manus extulisse. *Polyhist. sub Carolo IV.* Cùm Joannes Fridericus Elector Saxoniæ natus esset, in dorso Infantis crux auricolor visa est, de qua Senex quidam Sacerdos interrogatus respondit: *Hic puer crucem gestabit, toti Orbi conspicuam.*

Indoles etiam pueri virum bellatorem prodit. Refert Salianus ex Cedreno ad annum Mundi 3047, Sapientissimum Salomonem, Reginam Sabæ accessisse, & inter alia tentandæ ejus Sapientiæ ænigmata, sex pueros & puellas formâ præstantes consimili prorsùs habitu

bitu ex ornatu instructos coram eo constituisse, petiisseqvè, num ex Physiognomia & vultûs lineamentis dignoscere inter Sexum valeret? Rex omnes intuitus, quempiam ex Aulicis vas aquæ adferre jubet, ac singulis, faciem ut frigidâ abluant, imperat: quo astu discrimen Sexûs illicò deprehendit, nam Mares intrepidè ac strenuè vultum confricabant, puellæ timidè, ac tenuiter se aspergebant: adeò teneris in annis, se ostentat animus masculus, qualem etiam Achilles habuit.

DECORA MILITIS.

DECVS PHILOSOPHICVM.

IN Physico exercitu, tanta est Heroicorum animorum unio, ut omnes ejusdem credas temperamenti, nunquamq; ullum ab alio impeti experiaris. Hinc est articulus militiæ Physicæ: *Gradus intensionis sunt homogenei, nec datur actio similis in simile.*

DECVS POLITICVM.

PRIMUM DECUS MILITIS est PIETAS MILITARIS. Primum planè victoriæ insigne est, si cum Jove manus moveas, & sub bellicis signis, fœderatorum Cœlitum auxiliares ducas suppetias. Heraclium Cæsarem ad bellum contra Persas accinctum, ac atratos calceos, in signum pœnitentiæ cum tota militia indutum, orantemq; Georgius, Pisidensis Episcopus, sic est allocutus: *Nigrum Imperator nunc indute calceum, rubefacies tinctum cruore Persico.* Quod & factum est. Ita Pietatem Principum sequitur comes victoria. Hinc Cambyses Persarum Rex, Filio ad Astyagem proficiscenti, *hoc unum*, inquit, *præcipuè commendo, idq; tanquam*

preti-

pretiosum thesaurum à Patre donatum, in tua memoria perpetuò recondi cupio: Dei esto amicus, in eundem pius, nihilq; aggrediaris, nisi Divino Numine implorato: imbecillis enim est & hebes mortalium natura, nihil autem Dei Sapientiam latet, omnia ex sententia ÿs cedunt, quibus illa præsto est. Nec facilè hostis aggreditur, Divorum Cœlitum auctum suppetiis militem. Cùm Fridericus Dux Saxoniæ, Comiti Bichlingio, Antistiti Magdeburgensi, bellum esset illaturus, exploratorem misit, qui ejus consilia, & apparatum bellicum indagaret. Is renuntiavit, nihil bello opportunum parari, neq; ibi conscribi militem; Antistitem insuper dixisse, se causam commissurum Deo, qui pro se arma sumpturus sit. Quod cùm Fridericus cognovisset: *alius*, inquit, *insaniat, ut bellum inferat ei, qui confidit se Deum defensorem habiturum.*

DECUS SECUNDUM Militis, est accinctum in bello, discinctum ferro in Patria latus. Hinc Theodoricus Rex, Militiam Romanam monet apud Cassiodorum Lib. 3. Epist. 24. *Illud prætereà vos volumus admonendos, ut non in vos, sed in hostem sævire cupiatis, deponite ferrum, qui non habetis inimicum.* Inermem planè, intra viscera Patriæ, Militem voluit Pompejus Magnus, quì teste Forrerio, quos præmisisset ad bellum, illorum gladiis annuli signum impressit, ne quem in via offenderent. Infame enim bellum est cum Domesticis, infamius adhuc cum inermi imbelliq; plebe, infamissimum & damnosissimum cum re agraria. Anno 1462. Fridericus I. Palatinus Comes cæpit in bello Carolum Marchionem Brandeburgensem, cum pluribus Ducibus Comitibusqvè, iisq; ad arcem deductis, ac solenni exceptis convivio, prohibuit apponi panem, eumqvè postulantibus renuntiari jussit; bella geri debere, ut petatur armatus hostis, non inermis agrestium turba, quorum segetes illi vastaverant, frumentumq; in horrea comportatum, succensis pagis exusserant. Quid, *Eberus.*

quòd teste Nicephoro, non probabile rem benè gesturos eos, qui lachrymas, & execrationes pro viatico secum afferant? Cùm Jagello Rex Stationem à Spiritualium subditis exegisset, & pignora ab iis qui non paruerant, accepisset, ac eam ob rem ab Hedwige Regina reprehensus, restitui jussisset, Regina suspirans subjecit: *Pignora quidem reddemus, cæterùm lachrymas, quis eis reddet?*

Cromerus lib. 15.

DECUS TERTIUM est FORTITUDO MILITARIS. Carolus V. in comparando exercitu, se caput sumere ab Italis, brachia & manus ab Hispanis, pectus à Germanis, ventrem & pedes ex reliqua gentium colluvie desiderabat. Ita dotatum militem voluit Invictissimus ille Imperator. Inter reliquas verò, dos est præcipua Militis Fortitudo. *Fortibus indigeo, quos ipsa pericula durant,* vox bellici Imperatoris, hoc est, quibus mori ludus, aut somnus est. Talis erat ex Cæsarianis aliquis in hostem invectus, antequam moriturus procumberet, centum quadraginta quatuor ictibus, Scutum perforatum ostendit. Ruffus Geminius accepto vulnere exspirans Quæstori demandabat, REFER AD SENATUM, VIROS FORTES SIC MORI. Talis etiam erat Miles Cassius Scæva, qui oculum telo confixum taboq; stillantem ipse sibi eruit, & in terram projectum, pede conculcavit. Talis Petronius captus, qui, dum ab hoste illi vita donaretur, respondit: *Serva tuum crudele munus, Cæsaris Milites salutem dare, non petere consueverunt.*

DECVS HISTORICVM.

SUmmum Decus Militis est, Exemplum Ducis. Alexander Parmensis in obsidione Trajecti, cùm nec Fossores adessent, nec Rustici Trajectensis territorii ad opus compelli possent, animatis militum aliis, stipendii amplioris spe, aliis exemplo, primus sumpto ipse ligone,

gone, moliri humum & comportare humeris fasces : simul sequi Principem Aulici, tùm & ipsi primores, & omnis certatim exercitus, intraq; biduum castella 4. plurium centuriarum capacia, fossâ ac vallo præmunita assurrexerunt : *Quis enim non posset, aut nollet, cum Alexandro fossorem agere ?* ait Strada Dec. 2. lib. 2.

Scilicet, in vulgus manant exempla regentûm.
Vtq; Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Claud. de laud. Stil. lib. 1.

Sic in bellis præcedebat Annibal, sic Julius Cæsar, sic Masinissa Numidarum Rex, sic Hadrianus, sic Severus. Svetonius de Julio ait cap. 37. *in agmine pedibus anteibat capite detecto, seu Sol seu imber esset.* Hadrianus Imperator, ait Xiphilinus, nullo calore, nullo frigore, capite operto fuit, nec enim aut propter nives Celticas, aut calores Ægyptios se operuit. Nec minùs Ducum, quàm Sociorum Heroum exempla movent. Ita Themistocli somnum excusserunt Miltiadis trophæa : Julio Alexandri felices impetus : Alexandro Achilles ab Homero cantatus.

Lusitani cum Castellanis pugnaturi, Ducis sui Joannis à Castello capti vinctiq; compedibus, effigiem vexillis prætulerunt. Ingens animorum mutatio facta : vivi spiritus micuerunt in flammam, ambabus ulnis bellum arreptum. Itali Boldrini Panicaciæ, siccatum cadaver, impletumq; aromatibus, in feretro circumtulerunt. Non secùs ac vivo spirantiq; tendebatur prætorium, & circumpositis vexillis tessera petebatur, inimicis metuenda.

FATA MILITUM.

FATVM PHILOSOPHICVM.

Milite forti vitâ spoliato, non omnia in prædam cedunt, Marti hostili, vel morti ultimo hosti, manent

 nent quædam decora communia tam ſuperſtiti, quàm extincto, hinc & teſsera militis Phyſici: *In corruptione ſubſtantiali, non datur reſolutio usq; ad materiam primam.*

FATVM POLITICVM.

SUa ſunt etiam fortiſſimis Heroibus fata, nec ullus tantum Marte valuit, ut mortem ſuperaret, nullus in tantum victoriarum proceſſit, ut ultimam rerum lineam excederet. Carolus V. pro Symbolo Herculeas geſtabat metas, cum Lemmate: *Plus ultrà*; verùm quiſpiam inſcripſit:

Non plus Alcides, plus ultrà Carolus: at mors
Plus ultrà nemo progredietur, ait.

Philippi II. Hiſpaniarum Regis Symbolum erat Eques cataphractus cum Lemmate: *Quis valet?* id eſt, de equo Seſſorem deijcere; verùm quiſpiam ſubſcripſit:

Qui valet armigeros, Rex deijcit armiger omnes,
Mors tamen heu Reges deijcit armigeros!

Si ubi verò, in bello ejuſmodi ruinarum feraciſſimus campus, & ſolenne ut Martis, ſic mortis theatrum. Nemini bella parcunt, validiores celeriùs obteruntur, quot animoſos Duces ac milites Troja conſumpſit, robur Achivum muris alliſum procubuit. Pulcherrimi Dardanidum cecidêre cum Choræbo, Hector curru tractus, Priamus poſt Aram immolatus, reliquos enſis hauſit & flamma; verùm fortes viri contemnunt vitam & mortem, deliberatâ morte ferociores. Epaminondas olim in pugna ad Manticam ſaucius, & fato proximus, cùm fuſos hoſtes, victores ſuos comperiſſet, *non finis*, inquit, *vitæ meæ, ſed melius & auctius initium advenit, nunc enim veſter Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur:*

Qui

Qui cadit magnus, jacet ille magnus,
Non premit fortes, celebrat ruina,
Vulnus armatum decorat cadaver.

FATVM HISTORICVM.

PLato res humanas ludibrio esse DEO dixit, sursùmqvè ac deorsùm temerè ferri omnia, incertoq; cursu vagari: sic in bellis contingit, ut alterno redeant choro, risus & gemitus, læta epinicia, & tristia epicædia, & nunc triumphales palmæ lugubri cupresso, nunc lugubres cupressi laurigeris truncis implantentur. Quid profuit Fabio Maximo liberâsse Romam è faucibus Punicis? quid Scipioni Affricano? audio queritantis vocem, *Ingrata Patria, nec quidem ossa mea habes.* Quid Annibali profuit, tot annos galeis tectos impendisse Carthagini? transi ad Græcos, Themistocles, Pausanias, aliiq; sexcenti, cineri suo eadem suspiria inscripsêre. Plures invenies, quos nec sepulchro fortuna belli est dignata. Phocion vigesies Imperator dictus, tumuli honore caruit. Pyrrhus urnâ, Magnus rogo, Magni nominis avidi; sæpè magnâ oblivione obruuntur, in murium cavernis, non unius etiam fortissimi militis fama jacet. Sicinio Dentato, plusculum indulsit Superba Campi Domina, is Achilles Romanus nominatus, centum & viginti præliis, vulnera adversa tulit quadraginta quinqve, ne Marti quidem erubescenda, donatus aureis coronis octo, unâ obsidionali, tribus Muralibus, Civicis quatuordecim, novem Triumphis, immensâ vi torqvium, hastarum, phalerarum: sed rari hi nantes, plures majores Sicinio, non tamen feliciores vidit Orbis. Apud Romanos Manlius Torquatus, qui contra rebelles Latinos exercitum ducens, unicum habebat filium, quòd extra ordinem à Magistro Equitum Latinorum provocatus pugnâsset, capite punivit,

nivit, etiam victorem: Fortiter, inquiens, fili mi dimicâsti, eaq; de causa te coronâ donabo; sed qvia neqve imperium Consulare es veritus, eà moderatione adversùs te utar, ut & virtutis tuæ fructum percipias, & contumaciæ pœnas des. Atqve hæc dicens, inquit Zonaras, & coronam capiti imposuit, & caput amputavit. Ita sæpè fortuna belli lactat ut mactet, attollitqvè sub sidera, ut infra terras deijciat. Interim quisquis pro salute Patriæ moritur, non potest fato nobiliore mori, & quem pro Patria decorat numerosa cicatrix, & inaspectabile tabum, sua post fata superstitem, triumphali tæniâ, ipsa coronabit æternitas.

Joan. à Chokier in Onosandri Strateg. c. 33.

REPRÆSENTATIO PANEGYRICA.

MILITIS POLONI.

Inter Omina, Decora, & Fata fortunatissima.

IN ILLVSTRISSIMO PALATINO INOVLADISLAVIENSI.

INter Bellonæ lituos, Martiosq; strepitus, hactenus GAŁECCIANA versata Philosophia, jam tandem ad Tuas laureas & trophæa subsistat Illustrissime Domine. *Monstravêre illi nobile Martis iter, laureata bellatoris Agni vestigia, Vkrainensibus campis, Budżiacensibusq; impressa arenis, quæ etiamnum Getico Marti, ut veteris illius manus Myronis, horrori sunt & pavori. Nascantur pro-*

prodigio, in Insula Chio, fortes ab imbellibus oviculis Leones, in Illustrissima GAŁECCIANA *Domo, nihil magis vulgare, quàm ex avito Iunoßa Leones nasci illos, quibus non alia cunabula, quàm barbaricarum ferarum exuviæ, non alia pascua, quàm in arena Martis herbæ triumphales, è tumulis Barbarorum pullulantes. Posuisti prima auspicia belli, Majorum victorias,* lustravitq; Tuos, Aquilis victricibus ortus Miles: *credo ego non priùs Te arma tractâsse virum, quàm puerum per scuta raptasse, non ignorâsti nempè Magne Palatine, non ferre ullum ictum illæsam felicitatem, assiduâq; cum incommodis rixâ, callum per injurias induci; ut fortunæ ità fortitudinis partus paralellos esse, à cunabulis ad sagum, ab arduis ascendendum ad ardua. Flavius Domitianus, cui totum robur in cognomen abierat, ille inquam Domitianus, domi muscarum hostis, foris musca hostium, ille clarissimo suo Patri similis, ut soli lutum, bis navali prælio interfuit, sed in arena, bis triumphavit, sed nec semel scivit vincere; Tu in Viennensibus, Strigoniensibus, Podoliensibus, Vkrainensibus campis, ità fortiter maximis quibusq; Te objciebas periculis, ut vitari timeriq; ab illis crederetis. Sed ut modestiæ Tuæ, aliquid indulgeam* Illustrissime Domine, *millena quidem Tuá trophæa, totidem encomia exigunt, verùm abripit calamum & animum, Budziacensis illa belli magnitudo calami-*

lamitatibus nostris approbata: Vidimus inter deserta Budziacensia, desertas nostras fortunas, ammissisq; omnibus belli præsidijs, quod ultimum supererat, ipsi emortuæ fortunæ nostræ Vespillones, ac Sandapilarij, tormenta bellica, in terra Barbarorum defodimus, ac tumulavimus, dixeramusq; novissima verba, nisi tu aliter loqui docuisses. illa mortuaria, dum velut mortua sepelirentur, verè tunc nomen suum intrá tumulos invenerant, nisi Te suscitatorem habuissent. Ivisti inter prostratas fortunas, grandesq; mortuorum ac morientium acervos, vivido erectoq; animo Agamemnon Sarmatiæ, cui inter tot fortunarum ruinas immoto, non dubito quin inter classica belli, Polonus Mars accinuerit.

Dares. Martius ornat honos Agamemnona, fusa vigorē
Celsáq; membra fovet, vultu præcone potestas,
Enitet, & Martem species armata profatur.

Nempè ubi pluribus fatalis occasus, Syculæq; vesperæ fugiebantur, tu Orientem Patriæ felicitatis sequebaris. Venisti ad fatale nostrarum fortunarum sepulchrum, tumulatasq; cum machinis bellicis spes suscitâsti, prodigiosamq; hanc æneorum corporum resurrectionem ostendisti, postquam tumulata jam mortuaria, in mille mortes Getarum animâsses. Conclamaverant jam de nostra felicitate Budziacenses Prædones, nisi Teináudito exemplo, ad portas suas Annibalem conclamantes, Palinodiam canere compulsi, Polonorum spem ab ipsa desperatione, infelicis Matris feliciorem filiam nasci, pro-

clamas-

clamâssent. Rediisti reduxistiq; in Patriam, belli Machinas, totidemq; trophæa, Te ipso nihilominùs Trophæum majus reducere non poteras; quanta tunc universæ Poloniæ gaudia, quanti inter gaudia, GAŁECCIANÆ gloriæ applausus, quanta in applausibus vota: alij Tibi ponebant obeliscos ut Augusto, alij columnas triumphales ut Trajano, alij inscriptas auro tabulas ut Alexandro, arcus alij ut Constantino: Tu interim benè meruisse contentus, nec plausu clarescere vulgi, nec superbâ mole, Tuam magnitudinem attolli, satis de Te Magnus desiderabas, nempè sufficiebas Tibi Tu ipse, scilicet Cato Catoni. Vive Heròúm maxime, ætatem quam mereris, serventq; superi incolumitatem quam dederunt, adversa nè verearis fata, quia hæc fortibus viris, qualis Tu es, ad nutum & manum sunt.

Quando alios clamor feret alti carmine plausus;
Te fragor & gemitus Thracũ, sub sidera tollent,
Te Tabo hostili, permixta Borysthenis unda,
Per scopulos, rippasq; feret, fluctusq; sonantes,
Quo sol ipse suos radios efferre laborat.

Ad M. D. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem.